



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Disputatio I. De Essentià, & Existentià Dei. Deque eius cognoscibilitate  
abstactiuà, seu per alienas species.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

# TRACTATUS I. DE ESSENTIA,

ET EXISTENTIA DEI, DEQUE EIVS  
cognoscibilitate abstractiua, seu per alienas  
species. Atque adeò de Attributis  
Dei in communi.



**A**D materiam huius Tractatus (qui iuxta dicta in Praefatione iure praecedat ceteros) generatim est supponenda tota doctrina data à nobis in Pharo Scientiarum de cognitione humana, de obiectoque humanitatis cognoscibili vniuersè. Speciatim autem doctrina tradita etiam ibi disp. 8. & 9. de Actu obiectiuo in vniuersum, De enteque essentia, & existentia. Atque de opposito non ente. Quare duabus ille disputationibus absoluetur. Altera de essentia, & existentia Dei, deque eius cognoscibilitate abstractiua. Altera de Attributis Dei in communi. In quibus subinde saepe specialius ad loca dicta, quatenus opus fuerit, nos referemus.

## DISPUTATIO PRIMA.

De Essentia, & Existentia Dei. Deque  
eius cognoscibilitate abstractiua,  
seu per alienas species.

**Q**uia in multis disputationibus huius Operis, potissimum verò in primà hac, & in secundà subsequente Deus non solum secundum, se, sed etiam prout à nobis viatoribus cognoscibilis considerandus est; de eius cognoscibilitate abstractiua, seu per alienas species, per quas à nobis pro praesenti statu cognoscitur, imprimis oportet quaedam statuere. Quod in praesenti disputatione unà cum ceteris in eà tradendis praestabimus.

## QVÆSTIO I.

*Quid sit Deus; quid ve sub nomine  
isto veniat intelligendum.*

**M**ulti hanc quaestionem praetermittunt, quòd censeant, Deum ob suam simplicitatem, & infinitudinem nec definibilem esse, nec verbis à nobis explicabilem, quoad quid est. Id quod supponit S. Th. 1. par. quaest. 3. in praesidio quaestionis, dum ait, *De Deo scire non possumus quid sit.* Imo expriment Patres communiter. August. enim tom. 9. lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 7. initio sic habet, *Summus spiritus, sicut à nullo intellectu valet proprie cogitari, sic nulla definitione poterit proprie desinari, vel determinari.* Nazianz. orat. 49. quæ est de fide, ait, *Deus qualis sit, nec mente concipi, nec animo desinari potest.*

Damasc. lib. 1. fid. cap. 2. dicit, *Quid Dei essentia sit, nec scimus, nec dicere possumus.* Et cap. 4. *Quòd Deus sit, liquidò constat: quid autem ratione essentia, natura que sit, nullo modo cognosci potest.* In eadem sententia sunt S. Dionys. de mystica Theologia, & cap. 7. de diuinis nominibus. Chrysof. tom. 5. homil. 1. & 2. de incomprehensibili Dei natura. Clemens Alex. 6. Strom. pag. vii. Euthim. in Panopolia, tit. 4. & 5. Cyprian. in Prologo de Cardin. Christi operibus. Iustin. mart. in exposit. fid. sub med. & alij. Cuius ratio à priori videtur esse: quia, cum Deus non ponatur in predicamento, nec constet genere, & differentia, vt communiter docent Theol. cum S. Th. 1. par. quaest. 3. artic. 5. & lib. 1. contra Gent. cap. 25. & de potentia quaest. 7. artic. 3. definitionem quiditativam habere non potest; cum hæc, vt logicis est notum, ex genere constet, & differentia rei definita.

Cæterum, quamquam verum sit, Deum à nobis in hac vita mortali non posse quiditatiuè cognosci proprio conceptu, nedum quiditatiuè explicari, sicuti est in se: quia solum possumus eius quiditatem rimari per speculum, & in ænigmate 1. ad Corinth. 13. quod potissimum intendunt Patres locis commemoratis. Quamquam etiam Deus proprio genere, & differentia non constet, propriaque subinde definitione genere, & differentia constante à nobis desinari non valeat; de quo tractandum inferius disp. 11. Attamen negari non potest, Deum aliquali definitionis, seu descriptionis genere optime posse à nobis pro hoc statu desinari, seu explicari; vt supponunt August. & Iustin. locis citatis. Imo multo melius, quam desinimus, & explicamus res alias creatas, quarum scientiam comparare studemus: quoniam maiorem, euidentioremque notitiam habemus attributorum, seu proprietatum Dei, quam plurium creaturarum: & certum est per proprietates, alioquin notas, vnius cuiusque rei essentiam notescere, à nobisque de-

A fini-

finiri, siue explicari pro hoc statu, vt pluribus declarauimus in Pharo Scient. disp. 27. Neque opus est, quod huiuscemodi definitiones, seu descriptiones ad hoc, vt perspicue manifestent rem definitam, constent proprio genere, & differentia: imo per solam rei proprietatem absque vilo genere proprio, aut æquiuallente, vt loco citato docuimus, & exemplis probauimus.

4 Accedit, quod vnum, imo præcipuum ex principijs in fronte cuiusque scientiæ humanæ ponendum, seu supponendum aliquis definitio, seu explicatio subiecti eiusdem scientiæ est. Quare, quoties de aliquo subiecto scientiæ contextenda suscipitur, ante omnia, quidam illud sit, querendum, & explicandum est, quæ ratione nos exposuimus in dicta Pharo disp. 19. quæst. 8. Cùm igitur in præsentiarum scientiam de Deo nostro aggrediamur, aliqua conceptus obiectiui eius definitio, seu explicatio inuitabiliter prorsus debet præmitti. De quo plura dicemus insuper quæst. 3.

5 Igitur Deus pro nunc sic potest definiti, seu describi: *Deus est ens quoddam sublime, increatum, à quo cætera cuncta entia, tanquam à suo fontali principio, trahunt originem, & habent esse.* Talis enim est haud dubie conceptus, quem homines vulgò de Deo statim, audito eius nomine, formare solent; vtpote reliquis fortasse notior, qui per alia Dei attributa concipi possunt, Quisnam autem conceptus Dei essentia eius censeatur, vt definitio per illum data, siue illum immediatè declarans quidam, & essentialis putari possit, quæst. 10. examinabitur.

## QUESTIO II.

### An sit Deus.

6 Omnium primi, qui Deum esse negarunt, atque ideo Athei, siue Atheistæ, quasi sine Deo, dicti sunt, fuerunt Diagoras, Milesius, Theodorus Cyrenæicus, Euemerus, Tegeates, & alij post Protagoram id ipsum in dubium vocantem, vt testantur Cic. lib. 2. de naturâ Deorum, Plutarchus lib. 2. de placitis Philosophorum cap. 7. Lactan. lib. 1. diuinarum institutionum cap. 2. & lib. de Ira Dei cap. 9. Euseb. lib. 4. de præparat. Euangel. cap. 6. August. lib. 3. contra litter. Petiliani cap. 21. & Theodoret. lib. 2. & 3. Græcænic. affection. De quo plura eruditè, vt asolet, nosser Raynaudus in sua Theologia naturali distinct. 5. quæst. 1. artic. 8. Tales etiam nostro tempore sunt multi Pseudopolitici, qui, omni internâ fide, cultu, & religione Dei abiectâ, si quam pietatis, aut religionis simulatam retinent speciem, eam ad externam, politicamque gubernationem dumtaxat referunt. Vt videre est apud Lindanum in suo Dubitatio, & apud Stanislaum Ræscium lib. 1. de Atheismis Euangelic. cap. 20. Qui quidem Pseudopolitici, animam in primis, sibi persuadent, simul cum corpore interire; indeque prorsus in Atheismum aut prorsus negant, esse Deum, aut eius relegant prouidentiam. In tale barbarum deturbat miseros homines viatorum, & hæresum procella. Videatur Praetol. lib. 1. hæres. 77. & nosser Recupit. lib. 1.

de Deo quæst. 8. cap. 2. Apud quos de his plura.

### Propositio Vnica.

#### Certissimum est, esse Deum.

7 Id namque imprimis est articulus fidei sacrissime traditus, aut suppositus in sacris litteris Exod. 3. *Ego sum qui sum.* Et, *Qui est misit me ad vos.* Quibus Deus asseritur esse, qui existit. Vide in huic locum Pererium nostrum disput. 12. & 13. Ad Hæbræ. 11. *Crederet enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerat sit, &c.*

Deinde hæc veritas adeo ipso est rationis lumine perspecta, vt eius aperta notitia quasi congenita naturæ, ipsique indita videatur. Testantur id communiter Patres. Accipe eorum aliquot testimonia. Nazianz. orat. 2. de Theol. ait: *Ratio illa diuinitis omnibus instat, ac primum in pectoribus nostris condita, cunctisque mortalibus innoxia nos ab his rebus, qua oculis cernuntur, ad Deum subuexit.* Arnob. lib. 1. aduersus Gent. paulò ante medium: *Quisquam ne, inquit, est hominum, qui non cum istius Principis notione diem prima natiuitatis intrauerit. Cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsis penè in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem, ac Dominum, eundorum, quæcumque sunt, moderatorem? Nyl. lib. de Beatitud. ad illam, *Beati misericordes, &c.* Opinio, inquit, de Numine diuino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus. Hieron. in illud Job 36. *Omnes homines vident eum, ait, Per naturam bonum notitia Creatoris inest cordibus hominum.* Chrysost. homil. 3. in cap. 1. ad Rom. aliquanto post principium sic habet: *Cognitionem sui Deus hominibus iam inde ab initio indidit.* Damasc. lib. 1. fid. cap. 1. ait: *Nemo est mortalium, cui non hoc adeo naturaliter insitum sit, vt Deum esse, perspectum habeat. Quin ipse quoque res condita, earumque conseruatio, atque gubernatio diuina naturæ maiestatem predicant.* Theophil. explicans illud ad Rom. 1. *Quia, quod notum est Dei, manifestum est illis, &c.* ait, *Veritas, siue, que de Deo est, cognitio mortalibus ab initio est insita.* Tertul. lib. de spectacul. cap. 2. post principium, *Nemo, inquit, negat; quia nemo ignorat, quod vltro natura suggerit; Deum esse vniuersitatis conditorem.* Pariterque passim loquuntur reliqui Patres. Quorum plura testimonia referunt Fasol. 1. par. quæst. 3. artic. 2. dub. 2. Vazq. disp. 19. cap. 1. Granad. controu. 1. tract. 1. disp. 1. Arrub. disp. 9. cap. 1. Tanner. disp. 2. quæst. 1. dub. 3. Gill. lib. 1. tract. 8. cap. 1. & seqq. & alij.*

9 Testatur id ipsum ipsa praxis omnium nationum Mundi. Nulla enim vnquam tam barbara fuit, supra quam signatum non fuerit aliquod diuinitatis lumen. Ob id dicebat Epicurus apud Cicer. lib. 1. de natura Deorum: *Genes omnes perceptionem quandam (quam ipse prolepsim vocat) habere, quod Deus sit, naturaliter hominum animis sine lege, sine more, sine instituto, aut sine doctrina insertam.* Vide plura huiusmodi testimonia Ethnicorum, quæ congerit ad rem Eugubini. lib. 1. 2. & 6. de perenni Philosophia. Vt mirum profectò fuerit, extitisse vnquam aliquem hominem adeo insipientem, vt dixerit in corde suo, *non est Deus, iuxta Prophetam psalm. 13. Quisquis autem id dixit, in corde dixit: quia, vt notat August. ibi, tam vecordem insaniam, mente*

mente conceptam, rarissimi fuerint, qui audeant ore proferre.

10 Igitur cum adeo stabile sit, & firmum apud homines, Deum esse; circa modum tamen, rationem, & viam, qua veritas hæc ab illis est cognoscibilis, nonnullæ sunt inter Theologos controversæ in quæstionibus subsequenibus dirimendæ.

QVÆSTIO III.

Quomodo Deus ab intellectu humano pro statu præsentis cognoscatur.

11 SUppono primo tanquam certum secundum fidem, Deum à nobis pro statu præsentis aliquo modo cognoscibilem esse, de factoque cognosci. Id enim passim supponunt Sacra Scripturæ, expressæque sæpe testantur; vt Sapient. 13. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ad Rom. 1. *Inuisibilia enim ipsius à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiternaqueque virtus eius, & diuinitas.* Id quod ab ipsa experientia cunctis est notum, & manifestum. Nec solum quoad an est, siue quoad existentiam, sed etiam quoad quid est, siue quoad essentiam, est Deus à nobis aliquo modo cognoscibilis, de factoque cognoscitur. Id namque præferunt illa verba Pauli *Sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas.* Et ratio planè persuadet. Quia non possemus iudicare, Deum existere, si penitus ignoraremus, quid illud sit, de quo iudicamus existere, iuxta ea, quæ dicebamus quæst. 1.

12 Vnde manifeste sequitur supponendum secundo; & si non possumus pro statu præsentis habere de Deo proprium conceptum, quatenus conceptus proprius per speciem propriam comparatus contraponitur conceptui alieno formato per speciem alienam, iuxta dicenda post modum; quod solum censendi sunt voluisse Enric. in Sum. artic. 21. quæst. 2. & Alens. 1. par. quæst. 3. dum nobis possibilem pro statu præsentis negarunt proprium conceptum Dei; posse tamen citra omne dubium habere nos proprium conceptum Dei, quatenus proprius conceptus contraponitur conceptui alijs communi. Quia per conceptum Deo, & alijs communem præcisè nullatenus dici possemus nos cognoscere Deum, prout iam est statutum; sed tantum prædicatum quoddam præsciens à Deo. Quemadmodum dici non potest cognoscere hominem, qui tantum cognoscit animal, aut viuens, aut substantiam ingenere. In quibus, utpote certissimis, non est, cur amplius immoremur. Qui plura velit, videat Recupit. lib. 2. de Deo quæst. 1.

13 Suppono tertio, etiam vt prorsus certum; Deum à nobis pro statu præsentis, non per propriam speciem, & consequenter, vt est in se, sed per speciem alienam, atque adeo aliter, quam in se est, cognosci. Quod in primis est manifestum ab experientia. Deinde planè colligitur ex sacris litteris, dicente Paulo 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et 2. ad Corinth. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Quo circa Soar lib. 2. de attributis, cap. 30. Salas. 1. 2. tract. 2. disp. 10. sect. 2. & 3. Fasol. 1. par. quæst. 12. artic. 11.

dubitatur. Valent. ibid. punct. 7. Molin. disput. 1. Grad. tract. 7. disput. 1. Recupit. lib. 6. quæst. 13., & alij certum secundum fidem esse pronunciant, de potentia Dei ordinaria, & secundum communem ordinem naturæ, & gratiæ, neminem in præsentis vita posse videre Deum iuxta illud Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Et Ioann. 1. *Deum nemo vidit unquam.* Et 1. ad Timoth. 3. *Quem nemo hominum vidit; sed nec videre potest.* De quo plura infra Tract. de Visione Dei. Videret autem Deum, quisquis eum per propriam speciem, atque adeo, sicuti est in se, cognosceret. Stat itaque certissimum, Deum à nobis viatoribus, non per propriam, sed per alienas species, atque adeo aliter, quam in se est, perinde, ac cætera quæque obiecta insensata, venire cognoscendum. Vnde fit

Propositio 1.

De Deo conceptus obiectiuus perinde omnino formamus, ac de cæteris rebus, quas per alienas species concipimus.

Est clarum. Quia modus, quem cognoscendi habemus per alienas species, idem semper est respectu quarumlibet rerum, quarum caremus proprijs, vt experientia manifestat.

15 Vnde sequitur primo; Deum à nobis pro statu præsentis non in se, sed in phantasmate sensibili, tanquam in substituto quodam, cognosci, seu concipi. Quia, quidquid cognoscitur à nobis per speciem alienam, non in se, sed in phantasmate sensibili, tanquam in substituto quodam, cognoscitur, prout ostendimus in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3.

16 Secundo sequitur; pro diuersitate phantasmatum, in quibus solemus Deum concipere, diuersos nos passim de illo conceptus obiectiuos formare. Quod autem pro concipiendo illo diuersa substituiamus phantasmata, ex diuersitate principiorum enascitur, quibus intellectus noster ad concipiendum illum mouetur, siue determinatur, prout etiam loco citato expositum est.

17 Ex quo sequitur tertio diuersitas, varietasque formalitatem obiectiuarum, ex quibus Deus quasi compositus obiectiuè à nobis concipitur; cum sit in se realiter quid prorsus simplex, iuxta doctrinam vniuersalem distinctionis rationis, præcisionisque obiectiuæ formalitatum tum Dei, tum creaturarum ab intellectu nostro oriundæ, quam loco citato Phari indicauimus, eiusdemque disput. 12. quæst. 9. fuffiori calamo tradidimus.

18 Quarto sequitur; posse nos, solereque sæpe de facto conceptus formare vniuersales, communes vt Deo, & creaturis, siue diuinis, & creatis formalitatibus; quoties scilicet ob eiusmodi extremorum similitudinem obiectiuam ea sub vno phantasmate sensibili concipimus, sub vnoque proinde conceptu obiectiuo adunamus, vt cernere est in conceptu entis, substantiæ, aut spiritus communi entibus, substantijs, & spiritibus increato, & creatis, in conceptu intellectus communi diuino, & humano, in conceptu pariter voluntatis, in cæterisque huiusmodi iuxta doctrinam similiter vniuersalem traditam in Pharo citatum disput. 2. quæst. 3. tum maximè disput. 17. præsertim quæst. 4. 6. 8. 21. & 22. quæ videndæ.

19 Quinto denique sequitur; per inde nos apprehen-

prehendere apprehensione simplici Deum, eiusque obiectiuas formalitates, atque apprehendimus res ceteras, & formalitates earum, quas per alias species concipimus. Conceptus enim obiectiuos predictos, quos formamus, siue concipimus de Deo, imprimis formamus, siue concipimus per simplicem apprehensionem, quae prima est intellectus nostri operatio, & prauiat semper ad iudicium, ut vel Dialecticis est notum, a nobisque traditum in Pharo dicta disput. 2. quest. 2. & 4.

## Propositio 2.

20 Qua ratione per species alias iudicamus de rebus alijs, quarum caremus proprijs, eadem pro statu praesenti iudicamus de Deo.

Est etiam certum, Quia, quod attinet ad modum iudicandi, eodem pacto se se gerit intellectus noster circa Deum, ac circa res alias, de quibus iudicat, ut experientia manifestat.

21 Vnde fit primo, ut, quemadmodum circa res alias, ita pariter circa Deum nihil possit iudicare intellectus noster absque duobus saltem conceptibus obiectiujs, quorum vnus se habet, ut subiectum, & alius, ut actus significabilis per verbum, quibus perumque accedit tertius conceptus, se habens, ut terminus talis actus. Ob idque quoduis iudicium nostrum affirmatiuum, compositio, & quoduis negatiuum diuisio dicitur, quia primum cum subiecto componit actum, secundum a subiecto diuidit. Atque ita actus ipse potissimum praedicatum est, quod de subiecto aut affirmatur, aut negatur. Omnis autem actus trifariam potest, & solet concipi a nobis, Primo per modum exercitij, prout significatur per verbum, ut videt, amat. Secundo abstracte, prout significatur per nomen verbale, ut visio, amor. Tertio concretè cum subiecto, prout significatur per participium, ut videns, amans. Quae omnia in Pharo praedicta late exposita sunt disput. 2. quest. 4. & disput. 8. saepeque alias.

22 Et quoniam de eodem subiecto tam increato, quam creato plures actus, plura ve praedicata iudicare, atque praedicare solemus aut solariatione, aut plusquam ratione tum inter se, tum a subiecto ipso diuersa; (paualim siquidem atque diuisim, siue per partes cognoscit intellectus noster pro statu praesenti, quacumque de quavis re cognoscit). Hinc fit secundo, ut de Deo, siue de essentia eius tot, tam diuersaque iudicemus, ac praedicemus attributa, quor, quam diuersaque per iudicium, atque praedicationem ipsi, siue eius essentiae, tanquam subiecto, attribuius praedicata. Attributum quippe Dei, & praedicatum eius in idem recidit, ut ex dicendis in seqq. patebit amplius.

23 Vnde fit tertio; omni iudicio nostro terminato ad Deum propositionem obiectiuam correspondere ex subiecto, & praedicato, tanquam ex duobus saltem conceptibus obiectiujs, compositam. Quae quidem propositio obiectiuat, (quemadmodum, & in alijs materijs), aut per se, & ex ipsis terminis potest esse nota, siue noscibilis, aut per aliud, hoc est, per aliam, aut alias propositiones prius cognitatas iuxta doctrinam vniuersalem de propositionibus per se, & per aliud notis datam, in Pharo disput. 19. quest. 8.

## Propositio 3.

24 Quemadmodum circa res alias sic circa Deum discurret intellectus noster pro statu praesenti.

Inferendo scilicet ex vna, aut pluribus propositionibus prius iudicatis aliam, aut alias iuxta doctrinam vniuersalem de natura discursus nostri traditam in Pharo Scient. disput. 2. quest. 5. & disput. 20. quest. 1.

25 Vnde fit primos, ut pariter nos circa Deum, ac circa res alias, argumentemur pro statu praesenti, Secundo; ut tota doctrina tradita in dicto Pharo de discursu, de argumentatione, & de scientia disput. 2. quest. 5. citata, & disput. 20. 21. & 22. per totas omni discursui, argumentationi, & scientia humana, seu circa Deum, seu circa creaturas versetur, communis sit.

26 Itaque per triplicem, quam intellectus habet pro statu praesenti, operationem, apprehensionem scilicet simplicem, iudicium, & discursum, eodem modo segerit circa Deum, ac circa creaturas. Totaque subinde doctrina in Pharo Scientiarum de huiusmodi operationibus, deque obiecto per eas cognoscibili data, tum tendentibus in Deum, tum tendentibus in res alias, necnon Deo ipsi, & alijs rebus, quatenus per eas cognoscibilibus, communis est; atque adeo praesupponenda ad totum hoc Opus, qua parte de Deo agit prout abstractiue, siue per species alias a nobis cognoscibili.

27 Superest tamen hic obseruandum; trifariam posse, & solere a nobis pro hoc statu cognosci, siue concipi Deum; ut docuit D. Dionysius, cap. 7. de diuinis nominibus; ex quo S. Th. ibi lect. 4. & in cap. 1. ad Rom. lect. 6. alijque Patres, & Scholastici; per viam scilicet causalitatis, per viam excellentiae, & per viam remotiouis, seu negationis. Primo modo concipimus, ac cognoscimus Deum, cum ei iudicando attribuius praedicata respectiua ad creaturas, quarum causalitatem, siue causationem concernunt; ut esse Omnipotentem, Prouidum, Creatorem, Dominum, Gubernatorem creaturarum, Praedestinatorem, Iustificatorem, Remuneratorem hominum, & similia. Secundo modo concipimus, ac cognoscimus Deum, quando perfectiones, quas cernimus conuenire creaturis, ad ipsum transferimus in excellentissimo, atque eminentissimo gradu. Quo iure dicimus, Deum esse summè Bonum, Perfectum, Sanctum, Sapientem, Veracem, Intellectiuum, Volitiuum, &c. Tertio denique modo concipimus, & cognoscimus Deum, quando ab illo per negationem remouemus, quidquid vel imperfectionem, vel minorem perfectionem, quam decet ipsum, praesert. Quo pacto asserimus, Deum esse Infinitum, Increatum, Incorporeum, Incomprehensibilem, Immortalem, Impassibilem, Immutabilem, & alia id genus. Ex quibus tribus praedicatorum, siue attributorum generibus, quae ad duo priora pertinent, positiuat; quae vero ad postremum, negatiua praedicata, siue attributa dicuntur.

Confectaria præcedentis Doctrina.

Confectarium 1.

23 Deus à nobis pro statu præsentis, non solum conceptibus remotiuis, seu negatiuis, sed etiam conceptibus positiuis cognoscibilis est.

Est contra Recapit. lib. 2. de Deo quæst. 2. afferentem, nullam perfectionem Dei esse à nobis naturaliter cognoscibilem conceptu positiuo. Probatur tamen primò communi Patrum, & Theologorum auctoritate vnanimiter diuidentium attributa diuina in positiua, & negatiua; Theologiamque, quatenus de Deo ipso tractantem, in affirmatiuam, & negatiuam. Quo planè supponunt, conceptus, quos de Deo formamus, alios positiuos, & alios negatiuos esse. Secundo probatur ex Doctrina D. Dionys. D. Th. aliorumque Patrum, & Theologorum, tradita num. præcedente. Dum enim dicunt, Deum à nobis tum per viam causalitatis, tum per viam excellentiæ, tum per viam remotiouis, siue negationis cognosci, aperte supponunt, atque recognoscunt in nobis, præter conceptus negatiuos de Deo per viam negationis formatos, alios non negatiuos, atque adeo positiuos formatos per alias duas vias causalitatis, & excellentiæ. Tertio probatur: quia conceptus Omnipotentis, Omniscentis, Creatoris, Domini, Gubernatorisque Vniuersi, Boni, Perfecti, Iusti, Misericordis, aliorumque huiusmodi attributorum Dei nullam præferunt negationem; atque adeo conceptus sunt merè positiui, vt satis, superque per se patet; ampliusque ex mox dicendis patebit. Quarto probatur: quia vel in ipsis attributis Dei negatiuis concretè sumptis subiectum positiuum inuoluitur substratum negationi, vt ipse Recapit. fatetur; neque negari potest. Esse quippe Deum Increatum, Infinitum, Incorporeum, &c. est esse quid positiuum, quod caret creatione passiva, quod caret fine, quod caret corpore, &c. Ergo quando, dissolutis eiusmodi concretis, subiecto eorum positiuo vel per iudicia affirmatiua, eiusmodi carentiæ attribuiamus, dicentes, Deus caret creatione passiva, Deus caret fine, Deus caret corpore, vel per iudicia negatiua formas oppositas remouemus, dicentes, Deus non creatur, Deus non habet finem, Deus non habet corpus; conceptus correspondens termino *Deus omnino positiuus* est.

29 Dices. Conceptus communes Deo, & creaturis inclusi in omnibus attributis diuinis per solum conceptum inuoluitatis, aut primitatis, aut alium huiusmodi differentialem præferentem negationem contrahuntur ad esse conceptuum priorum Dei, cuiusmodi sunt ipsa attributa. Igitur omnia attributa Dei, prout talia, ab eiusmodi negatione in sua differentia reperta euadunt conceptus negatiui. Nego antecedens. Quia in multis attributis diuinis conceptus communis Deo, & creaturis contrahuntur per differentias proprias Dei omnino, & merè positiuas, vt cernere est in attributo Omnipotentæ, vbi conceptus communis potentæ factiua contrahitur per differentiam taliter factiua omnium factibilium, & in attributo Sapientiæ, vbi conceptus communis scientiæ contrahitur per differentiam talis, scilicet perf. cissima omnium scibilium; & vniuersum in cæteris, quorum conceptus communes Deo,

& creaturis vt minimum contrahi possunt ad Deum per differentiam diuini, quæ denominatio fit à Deitate sumpta pro essentia Dei Methaphysica, quæ inconceptu positiuo subiecti omnium, attributorum Dei consistit iuxta dicenda quæst. 10. Itaque prædicti conceptus communes aliquando per differentias ab omni negatione immunes, & aliquando per differentias præferentes negationes contrahuntur ad esse attributorum Dei. Atque ita attributorum quædam omnino positiua, & quædam negatiua sunt.

Instabis. Quædam attributa Dei negatiua, vt Increati, Infiniti, Immensi, &c. transcendent cætera. Ergo nullum est attributum Dei, quod ab huiusmodi saltem transcendentibus non euadat formaliter negatiuum. Distinguo antecedens. Quædam attributa Dei negatiua transcendent cætera per inclusionem; nego; transcendent per adhesionem concedo iuxta doctrinam generalem de prædicatis transcendentibus traditam in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 20. & infra disput. 2. quæst. 4. attributis Dei transcendentibus applicandam. Deinde etiam distingo consequens. Ergo nullum est attributum, quod à transcendentibus negatiuo non euadat formaliter negatiuum intrinsecè, siue inclusiuè; nego; extrinsecè, siue adhesionè, siue sub distingo; quando concipitur illo affectum concedo; quando concipitur sine illo, seu præscindendo ab illo; nego; & hac ratione concipiuntur plerumque attributa positiua, qualia. Itaque, licet Omnipotentia Dei realiter, atque adeo fundamentaliter sit increata, infinita, &c. formaliter tamen talis non est ex suo intrinsecè conceptu; & licet euadat talis formaliter, quando formaliter talis concipitur, sed non, vt à forma intrinsecè constitutiua sui, sed, vt à forma extrinsecè sibi adiacente per nostram rationem. Quo fit, vt considerata præcisè quo ad suum intrinsecum conceptum quid purè positiuum sit; quantumuis eiusmodi forma aut sit, aut secum ferat quid negatiuum. Tantumdemque censendum est de cæteris attributis Dei positiuis, quæ aliqua ex negatiuis dicuntur transcendere. Pro cuius euidentiiori intelligentia doctrina data locis citatis ad eunda, atque recognoscenda est. Cætera autem, quæ contra præfens confectarium opponi possunt, ex dictis, atque suppositis ex Pharo in hac quæstione facile, quisque diluet.

Confectarium 2.

Quædam à nobis pro statu præsentis affirmatiuè, & quædam negatiuè iudicanda veniunt de Deo. Quinimo omnia ferme, quæ Deo conueniunt, vtrouis modo sub diuersis terminis possunt à nobis iudicari.

Prior pars confectarij constans est apud omnes Patres, & Scholasticos ob id diuidentes Theologiam, quæ circa Deum versatur, in affirmatiuam, & negatiuam; ex seque cunctis est notissima. Posterior autem pars inde constat: quia omnis propositio affirmatiua facile potest conuertere à nobis in negatiuam æquiualentem, & vice versa omnis negatiua in affirmatiuam. Atque ita idem ipsum de quouis subiecto, atque adeo etiam de Deo possumus cum veritate modo affirmando, modo negando iudicare iudicio scilicet

licet affirmatio, & iudicio negatio æquivalentibus inter se. Sic iudicia sequentium binariorum inter se sunt æquivalentia. Deus est omnipotens, Deus non caret omnipotentia. Deus est immortalis, Deus non potest mori. Deus est increatus, Deus non habet causam sui. Deus est perfectus, Deus non est imperfectus, &c.

### Confectarium 3.

32 Deus à nobis pro statu præsentis quiditativè, seu quiditativo conceptu cognosci nequit, absolute loquendo: tamen non minus benè, immo meliùs, quàm multæ creaturæ, quoad quiditatem concipiatur, & cognoscatur.

Est certum. Quia cognitio quiditativa, loquendo absolute, ea dumtaxat dici solet, quæ habetur per speciem propriam quiditatis, seu essentiæ obiecti cogniti per illam. Est autem certum, nos pro statu præsentis speciem propriam non habere quiditatis, seu essentiæ divinæ, ut constat ex superioribus dictis: atque adeo neque huiusmodi cognitionem quiditativam eius habere posse. Quod ipsum est, non posse nos eum quiditativè, seu quiditativo conceptu, loquendo absolute, cognoscere. Per species tamen alienas, quas solas habemus, passim essentiæ Dei, siue quiditatem concipimus, meliùsque noscimus, quid sit Deus, quàm, quid sint multæ creaturæ, quas pariter concipimus, & cognoscimus per alienas species, ut palam monstrat experientia: eoquod proprietates Dei notiores sunt nobis, quàm proprietates talium rerum. Eoque meliùs nobis notescit essentiæ, seu quiditas rei, quò notiores nobis sunt proprietates eius.

33 Hinc, quoties Patres, aut etiam Scholastici absolute denegant nobis viatoribus cognitionem quiditativam Dei, absolute ve pronunciant, à nobis cognosci non posse, quid Deus sit, de sola cognitione Dei quiditativa habita per speciem propriam censendi sunt loqui iuxta ea, quæ dicebamus supra quæst. 1. Per quæ sedata manet controversia de possibilitate in nobis viatoribus cognitionis quiditativæ Dei, quam fusè exagitat Recupit. lib. 2. de Deo quæst. 4. Vtrum autem sit possibilis cognitio quiditativa Dei clara, & per propriam speciem habita, quæ proprie non sit intuitiva, neque visio beatifica, infra discutietur à nobis, ubi sit sermo de visione beatifica.

### Confectarium 4.

4 Cognitio Dei, quæ simul sit quiditativa, & abstractiva, proprie, & absolute loquendo, impossibilis est.

Ita Recupit. lib. 2. cit. quæst. 5. ubi latè hoc punctum edisserit. Sed probatur brevissimè: quia proprie, & absolute loquendo, cognitio quiditativa dicitur, quæ habetur per speciem propriam, abstractiva vero, quæ non habetur per propriam, sed per alienam. Repugnat autem, eandem cognitionem simul haberi, & non haberi per speciem propriam, ut constat.

35 Quomodo autem nec sit possibilis cognitio Dei habita per speciem propriam, quæ sit præcisiva, atque in eo sensu abstractiva vnius formalitatis ab alia identificata cum illa, latè proba-

tum est à nobis in Pharo Scient. disput. 13. Cui quo stat, possibilem esse cognitionem, non solum per alienam, sed etiam per propriam speciem habitam, quæ attingat Deum prout in statu quiditativo, & non prout in existentiæ, eoque sensu sit præcisiva essentiæ Dei ab essentiæ citra omnem præcisionem formalitatum, ut ex doctrina data ibidem disput. 10. constat, & ex dicendis in sequentibus amplius constabit.

## QVÆSTIO IV.

### Verum Deus sit primum cognitum.

Henr. in Sum artic. 21. quæst. 2. & artic. 24. quæst. 7. & Bacon. in 1. distinct. 3. quæst. 1. artic. 3. & 4. affirmarunt. Sed communis sententia negat. Quam cum S. Tho. Scot. & alijs tuetur Recupit. lib. 1. de Deo quæst. 1. Est autem quæstio de primitate Dei in ratione cogniti: nam in ratione entis, certum est, esse illum primum primitate dignitatis, seu perfectionis, originis, durationis, & inconnexionis non mutæ iuxta doctrinam eiusmodi ordinum traditum in Pharo Scient. disput. 15. quæ ad rem recolenda, atque recognoscenda est.

Suppono, Deum esse primum cognitum, iuxta sensum quæstionis, & cognitionem de Deo esse primam omnium cæterarum, in idem recidere. Cognitio autem de Deo aut omnium cæterarum absolute, aut omnium alicuius specialis seriei incipientis ab ipsa potest considerari prima: idque primitate aut dignitatis, aut originis, aut durationis, aut inconnexionis non mutæ.

### Propositio 1.

Deus absolute non est primum cognitum respectu nostri villo genere primitatis.

Est certum. Quia, cum Deus à nobis cognoscat per alienas species, non potest à nobis cognosci prius, absolute loquendo, quàm cognoscantur creaturæ, quarum species sunt propriæ, aut prioritate durationis, aut originis, aut inconnexionis non mutæ, ut constat. Sed neque prioritate dignitatis, seu perfectionis: quia non omnis cognitio de Deo omni cognitione de creatura perfectior est, ut est notissimum. Deberet autem esse, ut ponimus, ad hoc, ut Deus, loquendo absolute, primum cognitum diceretur secundum ordinem dignitatis.

### Propositio 2.

In aliquibus seriebus cognitionum, atque adeo obiectorum cognitorum prout talium Deus primum cognitum est respectu nostri quovis genere primitatis: in alijs vero plerisque seriebus non item.

Prima pars propositionis cernitur primò in seriebus cognitionum supernaturalium de rebus fidei incipientibus ab aliqua prima de Deo, vel de divina revelatione, vel de aliquo alio Dei attributo, & procedentibus secundum ordinem aut

aut durationis, aut originis, aut connexionis, aut etiam dignitatis. Quarum serierum nonnullæ citra dubium dantur in nobis, vt ex doctrina Theologorum in materia de fide facile quisque potest colligere. Quocirca S. Tho. in 1. distinct. 3. quæst. 1. artic. 3. & lib. 2. contra Gent. cap. 4. docet, via naturali procedi à creaturis ad Deum, vt tamen fidei è conuersò à Deo ad creaturas. Secundo cernitur ijs in casibus, vbi prima cognitio, quæ in nobis excitatur de Deo, aut de aliquo Dei attributo est; ex eaque aliæ, & aliæ de creaturis seriatim ordinatæ sequuntur secundum ordinem aut durationis, aut originis, aut connexionis, aut etiam dignitatis. Qui casus nonnunquam eueniunt, etiam intra naturæ ordinem, vt constat experientia, & ratione: quia nou est, cur intellectus noster non incipiat aliquando ferriem cognitionum, etiam naturalium, à cogitatione principio in se excitata de Deo media excitatione specierum iam in memoria præhabitarum; vt incipit sæpe à cogitatione alterius obiecti, qui casu sibi occurrit.

40 Secunda autem pars propositionis est manifestæ. Quia plerumque per cognitiones creaturarum inducimur ad cognoscendum Deum; vt omnes experimur. Atque ita Deus in eiusmodi cognitionum seriebus posterius est cognitum, posterioritate aut durationis, aut originis, aut connexionis, aut etiam dignitatis. Et hæc de quæstione ista satis. Quæ enim contra statutas propositiones opponi possunt, leuiores sunt, quam, vt in eis repellendis oporteat morari. Videantur apud Recupit. vbi supra.

QVÆSTIO V.

Virum, Deum esse, sit per se notum?

41 **T**Riplex est sententia. Prima assertentium hanc propositionem *Deus est* per se notam esse, non solum secundum se, sed etiam quoad nos, (dum sumus scilicet viatores.) Pro hac sententiâ referuntur Albert. in Sum. tract. 3. quæst. 57. Bonau. in 1. distinct. 8. art. 1. quæst. 2. Egid. in 1. distinct. 3. quæst. 2. Argent. distinct. 3. quæst. 1. artic. 3. Abul. in cap. 5. Exod. quæst. 2. Lyan. ibid. Eamque expressè ex modernioribus defendit Michael Palat. quæst. 1. Prolog. vbi pro ea refert alios; & nouissimè Pafualig. tom. 1. de sacra doctrina disput. 7. sect. 2. Auertaque 1. par. quæst. 2. sect. 1. fauetque Aureol. in 1. distinct. 2. par. 2. quæst. 1. artic. 6. Pro hac etiam sententia stant acuti quidam Recentiores ex nostris, putantes, per se notum esse quoad nos, existere aliquod ens simpliciter necessarium, seu essentialiter existens, improductum, & independens à causa prima, non factum, non habens superiorem, &c. qui sunt conceptus proprii Dei cum ipso conuertibiles.

42 Secunda sententia imprimis rejicit, tanquam superfluum, vel commenticiam, diuisionem propositionis per se notæ in per se notam secundum se, & per se notam quoad nos; in quod conspirat etiam Aureolus supra artic. 5. Deinde asserit, propositionem illam *Deus est*, loquendo absolute, non esse per se notam. Ita Enric. in Summa artic. 3. quæst. 2. Ocham in 1. distinct. 3. quæst. 3. Gabr. ibid. quæst. 4. Greg. in 1. distinct. 2. quæst. 1. artic. 2. Scot. ibid. quæst. 2. & cum eo communiter Scotistæ. Quibus subscribit Arriag. 1. par. tom. 1.

disput. 2. sect. 1. late impugnans diuisionem prædictam. Addunt Scotistæ, vt videre est apud Theodor. Smising. tract. 1. de Deo vno disput. 1. quæst. 1. per se notum esse, quod Deus est, quatenus conceptibilis sub ratione Deitatis: hoc tamen pacto solum esse conceptibilem à Beatis, siue etiam à cognoscentibus Deum clarè, & quiditatinè per propriam speciem.

Tertia verò sententia supponens tanquam 43 veram, & vtilem diuisionem propositionis per se notæ in secundum se, & quoad nos, asserit, dictam propositionem *Deus est* esse quidem per se notam secundum se, quoad nos verò non item. Sic S. Tho. 1. par. quæst. 2. artic. 1. & ibi eius expositores communiter Caiet. Ban. Zumel, Nazar. Trigof. Molin. Valent. pun. 1. Vazq. disput. 19. Fasol. dubitat. 1. 2. & 3. Gillius lib. 1. tract. 8. cap. 2. & seqq. Gran. controuer. 1. tract. 1. disput. 1. Tann. disput. 2. quæst. 1. dub. 2. Soar. disput. 29. Metap. sect. 3. Franc. Amic. tom. 1. disput. 2. Præposit. 1. par. quæst. 2. artic. 1. Martin. 1. par. disput. 2. sect. 7. n. 62. Recupit. lib. 1. de Deo. quæst. 2. & seqq. Quiros 1. par. tract. 2. disput. 12. Et apud eos alij. Ex quibus Molin. Soar. Vazq. & Tann. existimant, diffidium inter S. Tho. & Scot. quod attinet ad supradictam diuisionem propositionis per se notæ in secundum se, & quoad nos, dumtaxat esse de modo loquendi, atque ita eos conantur componere.

Pro resolutione imprimis est supponendus 44 duplex ille modus in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. tactus, & latius expositus postea disput. 10. quem quilibet intellectus habet de quouis obiecto sibi proposito iudicandi; scilicet quoad an est, & quoad quid est; sine quoad ea, quæ illi conueniunt prout in statu existentiæ aut absoluto, aut conditionato, & quæ conueniunt prout in statu quiditatinè, seu obiectiuo aut absoluto, aut conditionato similiter. De quibus plura ibi ad rem, modò non repetenda, sed recolenda.

Deinde ex ijs, quæ de propositione per se 45 nota fusiori calamo scripta dedi ibi disput. 19. quæst. 8. summarè aliquot hypotheses sunt supponendæ. Sit. 1. Propositio obiectiuæ per se notæ, seu immediata illa omninò dicenda est, quæ ex terminis ipsis semel conceptis est iudicabilis. Per aliud verò nota, siue mediata illa est appellanda, quæ ex alio quopiam prius indicato iudicabilis est. 2. Propositio per se nota tum probabilis, tum euidentis, tum etiam improbabilis esse potest; tametsi vulgò sola, quæ est euidentis, soleat vocari per se nota. 3. Eadem propositio & per se, & per aliud nota potest esse, scilicet que de facto est: quia & ex terminis, & ex alio insuper prius indicato iudicabilis est. 4. Propositio per se nota, seu, quod idem est in præfenti, per se noscibilis, seu iudicabilis relatè dumtaxat ad intellectum valentem eam ex terminis iudicare talis est: quia ab illo dumtaxat est per se noscibilis, seu nota. 5. Propositio, quæ est per se nota comparatione sapientis, siue ingeniosi, scilicet non est talis comparatione rudis, siue idiotæ: quia primus suo intellectus acuminè penetrat conuenientiam terminorum, quam non assequitur secundus. 6. Quò quis perspicacioris est intellectus, eò plures sunt relatè ad ipsum propositiones per se notæ. 7. Comparatione etiam cognoscentium, seu indicantium cuncta intuitiue, siue per proprias species possibili sunt propositiones per se, & per aliud nota.

Nulla

Nulla tamen est possibilis per aliud nota comparatione vnius intellectus, quæ non queat esse, per se nota comparatione alterius: quia nulla est, quæ in se immediatè per propriam speciem ab aliquo intellectu iudicari non queat. 8. Ex prava, aut confusa terminorum apprehensione sapè fit, vt propositio non sit per se iudicabilis, iudicanda aliàs per se, si termini meliùs, & clariùs apprehenderentur. 9. Comparatione vniuscuiusque intellectus ea dumtaxat dici debet propositio per se nota, cuius termini à tali intellectu tam benè valent apprehendi, quam opus est, vt ea ab ipso per se iudicetur. Ad benè enim apprehenden- dos terminos sua etiam perspicacia, probitasque intellectus requiritur. 10. Propositio categorica de predicato contingente solum potest esse per se nota relatè ad eum intellectum, qui assequitur aliquomodo per propriam speciem tale predicatum. Nulla enim specie propria interueniente, nulla propositio categorica iudicari potest ex terminis, nisi vi connexionis deprehensa subiecti cum predicato: subiectum autem cum predicato contingente non potest concipi connexionem; aliàs non contingens, sed necessarium subiecto conciperetur predicatum. 11. Vt propositio de predicato necessario sit per se nota, connexio deprehensa subiecti cum predicato omnino debet esse immediata: alioquin non erit per se nota, sed per aliud, quod mediat. Stante verò connexione immediatà subiecti cum predicato, nihil deest, quominus propositio sit per se nota respectu intellectus valentis talem connexionem penetrare, seu deprehendere. 12. Ex propositionibus de predicato necessario ea sola, cuius predicatum est de intrinseca essentia subiecti, aut passio eius immediata, potest esse per se nota. Reliquæ verò de passionibus mediatis non item; quia in illis solis, non in his est immediata connexio subiecti cum predicato. 13. Propositio, quæ ex terminis categoricis non est per se nota, adiuncto aliquo syncategoremate, per se nota effici potest. Sed tunc reuerà non manet eadem propositio: quia aggregatum omnium terminorum non est idem, ac antea. 14. Propositio, in qua passio mediata predicatur de essentia, per se nota est, si passio immediata sit syncategorema subiecti. 15. Vniuersaliter omnis propositio aliàs mediata in immediatam transit, si termini omnes intermedij adiuncti subiecto sint eius syncategoremata. Ita quidem, vt idem omnino terminus propositionem obiectiuam constituent, qui sub alia forma propositi discursum obiectiuum constantem propositionibus pluribus constituerent. Iudicium enim, & discursus in vniuersum vicissim sibi possunt æquivalere: æquivalent autem, quoties omnes termini per plura discursus iudicia iudicati formaliter per vnicum citra discursum partim formaliter, & partim virtualiter iudicantur, iuxta doctrinam supponendam postmodum. Sic huic discursui *Existit effectus*. Ergo & causa æquivalens est hoc iudicium *Causa effectus existentis existit*; & huic iudicio *Homo est visibilis* æquivalens est hic discursus *Est homo*. Ergo est visibilis, &c. Vide hæc, & alia plura loco citato latius explicata, & probata.

46 Ex quibus obiter colligitur, diuisionem propositionis per se notæ, qua vtuntur S. Tho. & alij in per se notam secundum se, & per se notam quoad nos, optimam esse, si benè intelligatur. Ad cuius euidenciam noto primò, eam

propositionem iure optimo dici per se notam, secundum se, quæ ab aliquo intellectu per se, & ex ipsis terminis est immediatè noscibilis, seu iudicabilis. Propositio enim, quæ aptitudinem habet, vt per se, & ex terminis iudicetur ab aliquo intellectu, quicumque ille sit, quasi à natura, atque adeò secundum se habet esse per se, notam, seu noscibilem: tamen à multis alijs intellectibus ob eorum imperfectionem ita nosci non possit. Secundò noto, prædictam diuisionem bifariam vsurpari posse. Primò generaliter, ita, vt diuisum omnem propositionem complectatur per se noscibilem tam per proprias, quam per alienas species. Secundò specialiter, ita, vt diuisum solum claudat propositiones noscibiles per species alienas. Igitur, si priori modo accipiat, nulla omnino erit propositio, quæ non sit per se nota secundum se: quia nulla est, quæ per species proprias non sit per se, & immediatè noscibilis respectu alicuius intellectus, vt num. præced. hypoth. 7. statutum est: quoad nos verò dumtaxat erunt per se notæ, quæ cadunt sub experientiam nostram, quodammodoque subinde noscibiles per proprias species respectu nostri dici possunt; prout explicauimus etiam in Pharo Scient. disput. 19. citata, alibi que tetigimus: & ex reliquis quadam aliæ mox recensenda. Si verò posteriori modo accipiat, diuisio illa propositiones erunt per se notæ secundum se, & non quoad nos, quæ, cum sint de subiecto immediatè connexo cum predicato, atque adeò per se notæ absolutè iuxta doctrinam hypoth. 11. à nostro tamen intellectu pro hoc statu talis connexionis penetrari, seu deprehendi non potest; etsi possit ab intellectu præstantiori, aut meliùs disposito, seu instructo, iuxta doctrinam hypoth. 5. Quoad nos verò erunt per se notæ illæ, quarum connexio immediata subiecti cum predicato deprehensibilis à nobis, seu penetrabilis est. Illæ verò neque quoad nos, neque secundum se erunt per se notæ, quarum subiectum cum predicato non est immediatè connexum; quia, citra huiusmodi connexionem à nullo intellectu per solas species alienas potest per se immediatè vlla propositio cognosci, vt constat ex doctrinâ statuta hypoth. 10. & 11. Ex quibus patet ad ea, quæ contra dictam diuisionem opponunt Arriaga, & alij.

Præterea supponendum est ex doctrinâ latius etiam exposita, stabilitateque in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. conclus. 5. quoties intellectus noster per iudicium expressè, & formalitèr affirmat actum obiectiuum significabilem per verbum prout connotantem terminos alios, seu prout subest illis, non posse non eum tacitè simul, seu virtualitèr terminos ipsos affirmare, qua ratione sunt connotati. Cum sit manifestè impossibile, esse actum reuerà tales terminos connotantem, quo pacto sub tale iudicium cadit, nisi ipsi termini ita se habeant, sicut requiritur, vt reuerà talis connotatio subsistat. Quoties verò intellectus noster eiusmodi actum negat expressè per iudicium, necesse non est, quòd neget tacitè terminos connotatos per illum: quia solum negat connotationem, seu coniunctionem actus cum talibus terminis, quæ per solum defectum actus, terminis ipsis permanentibus, deesse potest, prout iudicium negatiuum exposcit. Vnde per tale iudicium multò minus eiusmodi termini connotati dicendi sunt tacitè affirmari.

48 Hinc infero pro re præfenti è pluribus, quæ inferebam loco citato, primum, quoties ex parte subiecti, vel prædicati propositionis affirmatiuæ ponitur aliquid syncategorema, quod eo ipso est connotatum actus obiectiui talis propositionis, non posse non per expressam affirmationem huiusmodi actus tacite simul ipsum syncategorema affirmari, qua ratione per ipsum actum connotatum est. Vnde rursus inferitur, neutiquam posse intellectum tali propositioni assentire, nisi habeat simul fundamenta ad affirmandum tum actum, tum syncategorema, prout est connotatum per ipsum. Sic, qui iudicat, *Petrus albus currit*, ita formaliter, & expressè affirmat *Petrum currere*, vt virtualiter, & tacite affirmet simul *Petrum esse album*. Quocirca tale iudicium nequaquam concipere possit, nisi simul fundamentum haberet ad vtrumque affirmandum. Et, qui iudicat, *Causa effectus existentis existit*, ita formaliter, & expressè affirmat *causam existere*, vt virtualiter, & tacite affirmet simul, *existere effectum*; subindeque tale iudicium nec concipit, nec potest concipere, nisi habens simul fundamentum ad vtrumque affirmandum. Pariterque est philosophandum de cæteris huiusmodi propositionibus, ac iudicijs affirmatiuis.

49 Deinde infero, etsi ex parte subiecti, vel prædicati propositionis negatiuæ ponatur quoduis syncategorema vt connotatum actus obiectiui per talem propositionem negati, opus non esse, quod negatio talis actus expressa tacita simul negatio ipsius syncategorematis sit, multòque minùs, vt sit affirmatio tacita eius. Vnde tandem inferitur, ad hoc, vt intellectus neget talem propositionem, nullo fundamento indigere ad negandum, vel affirmandum syncategorema, dum habeat ad negandum actum; imo nec eget fundamento ad negandum determinatè actum, dum habeat ad negandum syncategorema, vel actum sub distinctione; siquidem, quouis deficiente, deficiet actus prout connotans syncategorema; quod solum exposcit iudicium negans dictam propositionem. Sic, qui iudicat *Petrus albus non currit*, solum negat cursum Petri prout connotantem *Petrum album*; subindeque ad veritatem talis iudicij tantum requiritur, quod vel non sit *Petrus albus*, vel non sit *currrens*; vtrius enim deficiente, erit verum deficere cursum Petri prout connotantem *Petrum album*; quod est intentum dicti iudicij. Similiterque de similibus est censendum. Dices. Hæc propositio *Petrus albus non currit* facit hunc sensum, *Petrus, qui est albus, non currit*; sicut hæc *Petrus albus currit* hunc facit, *Petrus, qui est albus, currit*. Igitur tam negatio, quàm affirmatio expressa cursum Petri albi tacita affirmatio est albedinis eius. Nego antecedens, si propositio *Petrus albus non currit* sumatur, vt sonat, in sensu merè negatiuo: quia negatio expressa cursum de Petro albo non est affirmatio tacita albedinis de Petro, vt constat ex dictis. Si quis tamen velit ita eam sumere, vt idem significet, atque illa *Petrus, qui est albus, non currit*, eo casu duplici iudicio expresso correspondebit, alteri affirmanti de Petro albedinem, alteri neganti de Petro cursum, diuersimque subinde sensum habebit mixtum ex affirmatiuo, & negatiuo; iuxta quem, vt intellectus ei assentiatur, expressè tenebitur iudicare, siue formaliter, tum *Petrum esse album*, tum *Petrum non currere*. Adde, fore etiam, vt dicta propositio *Petrus albus non currit* tacite affirmet albedinem de Petro, si sumatur pro suâ æquivalente,

*Petrus albus earet cursum*: nam hæc, vt pote expressè affirmans carentiam cursum vt connotantem *Petrum album*, tacite simul affirmat, *Petrum esse album*, iuxta doctrinam datam. Circa quam vide plura dicta loco citato.

Denique supponendum est iuxta aliam doctrinam traditam à nobis etiam in *Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. & disput. 13. quæst. 9.* hoc ipso, quod Deus à nobis concipiatur per species alienas, fere non posse aliter concipi, quàm respectiuè ad aliquod connotatum extrinsecum; quod subinde syncategorema erit positum ex parte subiecti, quoties de Deo aliquid aut affirmamus, aut negamus; de eoque philosophandum erit iuxta doctrinam nuper datam tertie suppositionis. Inter hæc autem syncategoremata Dei quædam prout absolutè existentia, quædam prout conditionatè futura, quædam secundum se, seu prout in statu quiditatiuo connotanda veniunt; vt discurrenti per singulos conceptus, quibus à nobis Deus concipi potest, conspicuum fiet. Qui rursus conceptus proprii Dei aut expressi, distinctique, aut impliciti, siue confusi possunt esse iuxta doctrinam datam etiam in *Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. Consect. 5.* His ita positis, sit,

Propositio 1.

Hæc propositio *Deus est* per se nota, est secundum se, seu quantum est ex se, non solum per species proprias, sed etiam per alienas, quocunque per has conceptu Deus concipiatur.

Prior pars propositionis constat ex num. 46. Vbi reliquimus statutum, nullam omnino propositionem esse, quæ per species proprias non sit immediatè noscibilis ab aliquo intellectu, atque adeo per se nota secundum se. Posterior autem pars propositionis inde manifestè probatur: quia, vt ibidem etiam statuimus, tunc propositio per se, & immediatè est noscibilis per species alienas, atque adeo vt sic per se nota absolutè, & secundum se, quando eius subiectum immediatè connexum est cum prædicato; vel quia prædicatum est de essentia intrinsecà subiecti; vel quia est prima eius passio, aut ex primis. Sed in propositione, de qua tractamus, subiectum, nempe Deus, quouis modo conceptum immediatè est connexum cum prædicato, nempe cum suâ existentia: quia hæc, vel intrat conceptum essentia Dei quouis modo concepti, vt multi putant, vel saltem est, prima eius passio, aut ex primis, vt nemo non fatetur. Ergo propositio, de qua tractamus, etiam per species alienas est per se nota secundum se. Quod erat probandum.

Propositio 2.

Hæc propositio *Deus est*, si terminus *Deus* confusè apprehendatur, vt sæpe solet, non est per se nota quoad nos.

Quoniam, apprehenso confusè subiecto *Deus*, non potest nobis detegi connexio, quam illud reuerà habet cum prædicato *est secundum*, doctrinam supra positam num. 45. hypoth. 8. Non deprehensà autem tali connexionione, non est, vnde nobis appareat, conuenire dictum prædicatum dicto subiecto. (quandoquidem neutrius habemus propriam speciem), vt constat ex hypoth. 10. ibidem stabilità.

## Propositio 3.

53 Si Deus expressè, atque distinctè concipiatur vt Auctor primus, seu Governator huius Mundi existentis prout existentis, hæc propositio *Deus est* per se nota erit quoad nos; secus, si sub alio conceptu, quantumvis expresso, non connotante creaturas prout existentes concipiatur.

Consentio in posteriore parte propositionis cum sententiâ communi; neque dissentio in priore, de qua Doctores talis sententiæ non videntur loquuti; consensuri, vt reor, mecum in illâ, si rem minutius perpendissent. Probatur autem prior propositionis pars: quia ex terminis est nobis euidens, hunc Mundum existere; cum ipsis oculis eum cernamus. Deinde euidens est nobis connexio, quam habet hic Mundus cum aliquo primo suo Auctore; quandoquidem huius existentia vi talis connexionis est demonstrabilis ex existentia Mundi, vt modò suppono cum communi ex dicendis quæst. 6. Ergo integrum nobis est hunc discursum euidenter formare. *Hic Mundus existit. Ergo aliquis primus eius Auctor existit.* Igitur & hoc iudicium cum pari euidentiâ ex terminis ipsis concipere *Auctor quidam primus Mundi huius existentis existit.* Paret consequentia: quia, vt constat ex doctrinâ statuta num. 45. hypoth. 15. illi discursui iudicium hoc æquiualens est: quo ita iudicatur formaliter, & expressè existentia Dei, vt etiam tacitè, & virtualiter iudicetur existentia Mundi, iuxta dicta num. 47. Cuius doctrinæ ratio exhibita latius in Pharo Scient. locis citatis duplex est. Prima: quia, vt aliqua propositio sit ex terminis cognoscibilis ab aliquo intellectu, sufficit, quòd eius subiectum connectatur immediatè cum prædicato connexionem per se noscibili, siue innotescente tali intellectui. In eâ autem propositione, *Auctor quidam, &c.* subiectum ratione illius synchthegorematis *Mundi existentis* cum prædicato connexum est connexionem per se noscibili, siue innotescente nobis, qualis est, quam habet Mundus existens cum existentia Dei. Secunda: quia nihil verat, intellectum humanum eisdem fundamentis, quibus innititur ad iudicanda plura obiecta, duci ad concipiendum iudicium vnicum, quo completatur ea omnia obiecta. Ergo, quæcunque intellectus noster iudicat illo discursu *Hic Mundus existit, &c.* (qui quidem, sicut & reliqui humani, ex solis iudicijs quibusdam inter se subordinatis coalescit, vt statutum est in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 5.) iudicare potest vno eo iudicio *Auctor quidam, &c.* eisdem nitens fundamentis; qualia sunt termini per se immediatè notificantes existentiam Mundi, & connexio innotescens Mundi existentis cum existentia Dei. Per se igitur est à nobis noscibilis ea propositio *Auctor quidam primus Mundi huius existentis existit*; atque adeò & hæc *Deus est* in eodem sensu, & cum eadem expressione vsurpata, vt nostræ propositionis prima pars fert.

54 Venio ergo iam ad secundam. Quam probant nonnulli: quia nos pro hoc statu non habemus proprium conceptum de Deo; cum illum, non per proprias species, sed per alienas concipiamus; Ergo, Deum esse, quoad nos non potest esse per se notum. Mala consequentia: fieret enim secundum illam, vt nihil per alienas species

posset quoad nos esse per se notum. Quo cuncta Principia Metaphysicæ, & aliarum scientiarum, quæ non nituntur experientiâ, atque adeò & ipsæ scientiæ corruerent penitus. Absurdum, quod non admittent isti Theologi.

Alij probant: quia, quod est per se notum, 55 à nemine potest negari. Sed aliqui, etiam distinctè conceptis terminis, negarunt, Deum esse, iuxta illud Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Ergo, Deum esse, non est per se notum. Mala etiam probatio: nam, omisso modo, quòd propositio per se nota potest non esse euidens, atque ita à quouis esse negabilis; agendo, vt in præsentia agimus, de solâ euidente, quæ vulgò iam per Antonomasiâ quandam inter immediatas propositiones solet per se nota appellari, vt notabamus supra, non est, cur ea magis sit irrefragabilis, quam propositio etiam euidens nota per aliud; cum sæpe contingere possit, vt nota per aliud longè sit euidenter, quàm per se nota, & solâ euidentiâ sit titulus, cur aliqua propositio reddatur irrefragabilis, seu non negabilis. Vnde, qui probatione istâ vtuntur, è quibus sunt valent, Molina, Tanner, Recupit. supra, & alij, manifestè possunt redargui, Probat enim illa, si quid probat, propositionem hanc *Deus est* neque per aliud esse euidenter demonstrabilem. Quod tamen neque ipsi admittant, neque audebunt concedere. Dicendum itaque, quòd aliqui insipientes, & malè affecti negauerint, Deum esse, non obitare, quominus id sit euidens sapientibus, & bene dispositis; atque adeò neque inde nasci, quòd id ipsum non sit his per se notum.

Aliam eiusdem assumpti probationem petit 56 Molina ab illis verbis Pauli ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* & ad Hæbr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.* Quasi nequeat esse per se notum id, quod per aliud est cognoscibile, aut fide diuinâ credibile. Sed neutrum est verum; quia propositio eadem & per se, & per aliud potest cognoscibilis esse, vt num. 45. hypoth. 3. statuiamus. Nec magis aduersatur fidei diuinæ euidentiâ obiecti per se noscibilis, quàm euidentiâ obiecti demonstrabilis; cum hæc maior illâ esse possit, vt iam notauimus. Quomodo autem euidentiâ de existentia Dei, vnde cunq; demùm illa nascatur cum fide de eadem existentia compati possit, infra quæst. 9. tractandum est.

Vazquez in citato num. 10. post reiectas 57 aliorum rationes, hæc vnicâ, putat, probari intentum; quia nimirum, cum non possimus nos concipere Deum pro hoc statu nisi respectiue ad creaturas, consequitur, vt nec possimus illum per se cognoscere, sed tantum per creaturas ipsas. Verùm hæc ratio non minùs, quàm reliquæ, videtur insufficiens, eamque meritò reprobant Gillius supra cap. 3. num. 9. Fassol. dubit. 3. num. 15. & Recupit. quæst. 4. cap. 2. licet diuerso modo. Etenim, si ex eo, quòd Deus à nobis apprehendi non potest nisi relatè ad aliud, sequeretur, non posse nos illum per se cognoscere, siue aliquid de illo per se, & ex terminis iudicare; sed tantum per aliud, respectiue ad quod apprehenditur; nihil omnino superesset per se, & ex terminis cognoscibile, siue iudicabile à nobis eorum, quæ per species alienas apprehendimus, & iudicamus. Quoniam, qua necessitate tenemur, Deum respectiue ad aliud quidpiam concipere,

pere, eadem citra omne dubium tenemur concipere pariter alia, quæcunque cognoscimus per species alienas. Quo sanè cuncta ferè scientiarum principia penitus pefum irent. Porro posse quàm optimè esse aliquid per se notum, quod nisi respectivè ad aliud concipi nequit, imprimis manifestum est in omnibus entibus relativis, quæ, cum à videntibus ea intuitivè non possint concipi nisi respectivè ad suos terminos, per se tamen, & non per terminos ab ipsis cognoscuntur, & iudicantur, vt constat. Apud nos etiam hæc propositio citra dubium est per se nota, omne, quod agit, potest agere; cuius tamen termini respectivè ad id, quod fit, concipiuntur. Similiter hæc, Totum est maius sua parte; Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia; Deus est colendus; aliæque huiusmodi, quibus humanæ scientiæ sciantur; cum tamen earum termini nihilominus respectivè ad aliud quidpiam apprehendantur.

58 S. Tho. supra, & omnes Thomistæ communiter idcirco probant, non esse quoad nos per se notam propositionem hanc, *Deus est*: quia nos nescimus de Deo, quid est. Verùm hæc ratio, quam latè defendit Fassol. supra dubit. 3. & Recupit. cap. 3. suam quoque difficultatem patitur, nisi ampliùs explicetur: quoniam, vt sit nobis per se notum, Deum esse, vel requiritur, quòd sciamus proprio conceptu, & per speciem propriam, quid Deus sit, vel sufficit id scire, utique per speciem alienam. Si primum. Recidimus in rationem primam num. 54. impugnata, & in absurda ex illa ibidem deducta. Si secundum. Ergo falsum est, nescire nos de Deo, quid sit, prout satis est, vt eum esse, sit nobis per se notum; quandoquidem, vt ostendimus quæst. 1. multò meliùs de Deo possumus scire, quid sit per species alienas, quàm de multis alijs rebus id scimus. De quibus tamen ea qualicumque notitià præventi multa per se, & ex terminis iudicamus. Cuncta enim ferè principia scientiarum per se nota terminis constant non per proprias, sed per alienas species à nobis conceptis.

59 Postremò Arriaga supra num. 8. hoc pacto probat idem assumptum. Difficiliter admodum suaderi potest, etiam quibusvis argumentis, esse vnam causam primam, à quâ cætera producuntur; esse aliquid ens summè necessarium in essendo; esse aliquid ens omnium præstantissimum; aut esse supremum aliquem Governatorem Vniuersi: (cuius difficultatis varias prætexit rationes ipse Arriaga, si tamen illæ tali nomine digne sint). Ergo, siue nomen *Deus* significet vnam causam primam, siue ens summè necessarium, siue ens omnium præstantissimum, siue supremum Governatorem Mundi, propositio illa *Deus est* non potest esse per se nota. Nequit enim per se nota esse illa veritas, quæ vix potest argumentis suaderi. Sed verò argumentatio hæc potius videtur labefactare euidenciam demonstrationum, quibus in omnium, ipsiusque Arriagæ sententià est demonstrabile, Deum esse, quàm probare, non esse id ipsum per se notum. Cum enim, vt propositio sit per se nota, non debeat esse magis euidens, quàm propositio demonstrabilis, vt patet ex 2. hypoth. supposita num. 25. non bene inferitur. Hæc propositio *Deus est* difficiliter argumentis suaderetur. Ergo non est per se nota, Potest enim esse per se nota tantà euidencià, & non maiore, quanta

est demonstrabilis; atque ita nihilominus pati difficultates, quas prætexit Arriaga principijs apud omnes, & apud ipsum per se notis, ex quibus illa secundùm omnes, secundùmque ipsum demonstratur.

Igitur secunda pars propositionis nostræ, de quâ tractamus, inde potissimum probanda venit: quia Deus quocunque modo conceptus, præterquam vt causa prima Mundi existentis, obsecuriùs, confusiùs, siue imperfectiùs, notescit nobis, quàm, vt possumus ex solis terminis apprehensis deprehendere cum euidencià connexionem, quam ille habet cum suà existentià prout exercitià in statu existentià absoluto, prout erat necesse ad iudicandum euidenter, ipsum realiter existere. Id quod experientià, & ratione satis videtur comprobari. experientià quidem: quia eiusmodi terminorum connexionem ne sapientiores quidem hominum vident versantes rem hanc accuratiùs, quàm reliqui, ac perpendentes in scholis; quandoquidem penè omnes negant vnanimiter, eam ex terminis apparere; non negatur profectò, si, se eam euidenter assequi, experirentur: quòd si illi non assequuntur, qui fiet, vt assequantur rudiores? Ratione autem: quia essentiæ rerum specialium, earum præsertim, quarum non habemus species proprias, imperfectiùs concipiuntur à nobis, quàm vt earum passiones primas immediatè, & sine discursu possumus deprehendere. Ob id enim principia per se nota, quæ in scientijs habentur, non specialium, sed vniuersalissimorum conceptuum, eoque titulo nobis notiorum, prædicant proprietates, vt sæpe in Pharo Scient. notatum est. Cum ergo essentia diuina particularissima sit, nobisque per species alienas, longèque alienas ab illa, quàm ab essentijs alijs, notescat; consequens est, vt sine discursu immediatè ex terminis ipsis nequaquam possumus deprehendere primores eius passiones, qualis est actus à se existendi.

Deindè; tolle à creaturis connexionem, quam habent cum Deo, fingendo aut illas omnes esse in possibles, aut à se ipsis habere esse, sine indigentia causa, à quâ sint, & conseruentur, & regantur; confestimque nullum reperies fundamentum ad affirmandum esse Deum. Ergo præter connexionem creaturarum prout actu existentium cum Deo vt cum suo Auctore, & Governatore aliud non adest fundamentum naturale, quo niti possumus ad asserendum, Deum esse; atque adeò nullum sufficiens exhibent termini huius propositionis *Deus est*, tali creaturarum existentià, & connexionem seclusà, prout modò de eà loquimur, vt ea per se notabilis, siue per se nota dicatur.

Præterea; si conceptus, quem de essentià diuina independenter ab eius effectibus pro præsentate statu formamus, sufficiens esset, vt aliqua eius ex immediatis proprietatibus ex terminis se nobis detegeret, omnes profectò immediatè se se detegerent: quia non est maior ratio vnius, quàm aliarum. Quo fieret, vt multa ex abstrusioribus Dei mysterijs, quæ essentiæ diuinæ absque dubio sunt proprietates immediatæ, (quandoquidem ex immediatis notis discursu non sunt assequibiles), vt esse secundum ad intra, Trinum in personis, &c. naturaliter cognosceremus. Quod, patet, esse absurdum. Non ergo concipimus essentiã Dei pro statu præsentate independenter ab effectibus vt existentibus, prout opus erat, vt aliqua ex proprietatibus eius immediatis,

tis, è quarum numero est existentia exercita, ex ipsis terminis conceptis se se nobis detegeret. Proindeque propositio *Deus est*, prout de eà loquimur, non est per se nota quoad nos. Quo sensu intelligendus est S. Tho. cum dixit, idcirco illam talem non esse: *quia nos nescimus de Deo, quid est*: puta; quia nos quiditatem Dei non concipimus, prout opus erat, vt ex ipsis conceptis terminis iudicaremus, Deum esse.

63 Mitto plura: quia per hæc factis, superque manet probatum, propositionem *Deus est*, quo pacto nunc de eà tractamus, nequaquam esse per se notam; atque adeò neque esse euidenter cognoscibilem ex ipsis terminis, quod solum pars posterior propositionis nostræ præterdit, accipiendo propositionem per se notam, prout vulgò solet, pro cognoscibili euidenter ex solis terminis. Addo tamen, per argumenta facta amplius adhuc videri comprobatum, nempe propositionem *Deus est* in sensu prædicto usurpatam, ne probabiliter quidem esse à nobis pro hoc statu ex solis terminis cognoscibilem; atque adeò illam sic sumptum nullomodo per se notam, seu noscibilem esse. Quod docet Vazq. vbi supra contra Less. lib. de Prouid. Numinis cap. 2. num. 13. Martin. 1. par. disput. 2. num. 62. & Quir. disput. 12. num. 17. & in com. S. Tho. quest. 2. artic. 1. num. 10. tenentes hanc propositionem *Deus est* per se esse noscibilem probabiliter.

64 Restat modò, vt argumenta diluamus, quæ contra nostram propositionem, præsertim contra secundam eius partem, de quâ solâ videntur agere Auctores, opponi possunt. Primum sic. Patres Ecclesiæ, imò & Philosophi Ethnici communi consensu asseuerant, notitiam Dei existentis insitam nobis esse à natura, atque ita à primordio congenitam, vt veluti naturali instinctu feramur ad iudicandum, esse Deum; constat id ex testimonijs, quæ indicauimus quest. 2. Igitur ex mente Patrum, & Philosophorum per se, & ex ipsis terminis est cunctis notum, esse Deum. Nego consequentiam. Quia Patres, & Philosophi ijs modis loquendi dumtaxat volunt, homines ad cognoscendum, esse Deum, non indigere, sicut ad alias veritates capiendas indigent, assiduâ aliquâ disciplinæ exercitatione, aut prolixi alienius discursus intento labore, sed solo naturæ umine ductos sine alio Doctore, sine morâ eam notionem comparare; non quidem eam ex solis terminis independentem ab existentia Mundi accipiendo, sed ex ipso Mundo prout existente experimentaliter iudicato subitâ quâdam ratiocinatione captando iuxta doctrinam secundæ partis nostræ propositionis; aut etiam interdum iuxta doctrinam primæ, eiusdem Mundi existentiam simul cum existentia Dei, tanquam causæ eius primæ, iudicio quodam æquivalente discursui citra discursum complectendo. Hæc expositio Patrum in illam recidit S. Tho. quest. 10. de verit. artic. 12. ad 1. vbi explicans Damascenum ait: *Cognitio existendi Deum dicitur omnibus naturaliter inserta; quia omnibus naturaliter insertum est aliquid, unde potest peruenire ad cognoscendum Deum esse*. Lege similia apud Chrysost. homil. 3. in cap. 1. ad Rom. aliquantò post initium.

65 Secundò obijcitur Anselmus, qui in Prologio cap. 2. 3. & 4. & in duobus sequentibus libris, quorum primus *Pro insipiente*, aliter *Contra insipientem* inscribitur, late contendit, seriòque, & ex animo demonstrare, neminem, negare posse, esse Deum, aut non scire certò, sine iudica-

re, Deum esse, cum primùm in eius cogitationem inciderit. Argumentum autem eius huiusmodi est. Qui cogitat Deum, id cogitat, quo maius aliquid cogitari non potest: aut certè nemo est, qui id non possit cogitare, imò, qui de facto non cogitet, his verbis auditis. Hæc autem semel posita cogitatione, nequit homo cogitare, nedum iudicare, non esse re ipsâ id, quod cogitat: quia maius quid est esse re ipsâ, quam esse solum in cogitatione: supponimus autem cogitare hominem id, quo maius cogitari non potest. Rursus, eadem cogitatione posita, non potest non statim conuinci homo de existentia eius, quod cogitat ob eandem rationem: vel si potest, non cogitat id, quo maius cogitari non potest contra suppositionem; quia id, quo maius cogitari non potest, manifestè debet esse re ipsâ; nec potest concipi non esse: quia maius est re ipsâ esse, quam re ipsâ non esse: Nemo igitur, semel apprehenso Deo sub prædicto conceptu, aut certò non noscere, aut negare potest, Deum esse. Vnde infert Ansel. insipientem illum, qui id negauit, vt dicitur Psal. 13. nequaquam apprehendisse Deum sub tali conceptu, sed voce tenus tantum, sine conceptu confusore.

Huic argumento respondet S. Tho. 1. par. 66 quest. 2. artic. 1. ad 2. & cum eo alij, ex eo, quod quis cogitet, seu apprehendat aliquid, quo maius quid cogitari nequeat, non sequi, quòd possit mox ille, nedum quòd debeat, iudicare, esse id ipsum, quod cogitat, à parte rei. Plura enim apprehendimus passim, de quibus non solum non affirmamus, sed negamus potius esse re ipsâ, vt sunt in nostrâ apprehensione.

67 Cæterum contra hanc solutionem vrgeri paulò explicatius potest discursus Anselmi. In quo tanquam certum supponitur, & quidem iure, maius quid esse, siue melius existere, quam non existere re ipsâ. Quo fit, vt, quicumque Deum apprehendit tanquam id, quo nihil maius cogitari possit, nequeat non apprehendere Deum existentem re ipsâ, vt patet: alioquin non apprehenderet id, quo nihil maius est cogitabile; cum sit cogitabile ens existens re ipsâ; & hoc sic, cæteris paribus, maius, seu melius, quam non existens. Igitur in conceptu Dei dicto modo apprehensi nequeat non innolui hi duo termini *ens existens à parte rei*. Tum sic. Hæc propositio est per se nota, & euidentis, à nulloque intellectu negabilis *Ens existens à parte rei est existens à parte rei*. Ergo & hæc *Ens, quo nihil maius cogitari potest, est existens à parte rei*: æquiualeat enim huic tertiæ *Ens existens à parte rei cum omnibus cogitabilibus per se omnibus est existens à parte rei*, quæ pariter, ac prima, per se nota, atque euidentis est, à nemineque vllâ ratione negari potest: quis namque sic iudicare queat, *Ens existens à parte rei non est existens à parte rei*? nemo profectò; nisi sit, qui iudicare possit, simul à parte rei existere duo contradictoria. Bene ergo videtur Anselmum concludere id, quod negatur in solutione S. Tho. & aliorum; hominem scilicet concipientem Deum vt ens, quo nihil maius sit cogitabile, neque negare, neque nescire posse, aut non iudicare cum euentiâ, esse Deum à parte rei; idque immediatè, & ex ipsis conceptis terminis.

Et confirmari potest amplius primò. Quia 68 euidentis ex terminis est, Deum in quantum sapientem, & in quantum omnipotentem.

tentem esse omnipotentem, & in quantum bonum esse bonum, &c. Ergo evidens quoque est Deum in quantum existentem à parte rei esse existentem à parte rei. Sed Deus in quantum summum bonum, quo melius non est cogitabile, evidenter est existens à parte rei: quia esse existentem à parte rei evidenter est perfectio Dei, quæ melior est ipsa, quam non ipsa, ut phrasia est eiusdem Anselmi recepta in Theologia. Ergo evidens est, Deum in quantum summum bonum, quo melius non est cogitabile, esse existentem à parte rei. Nemo ergo de tali summo bono potest non scire, quod existit à parte rei, aut iudicare oppositum.

69 Secundo confirmari potest. Quia, quod est de essentia explicita alicuius conceptus obiectivi, à nemine talem conceptum apprehendente negari potest: ob id enim, qui explicitè apprehendit hominem ut animal rationale, negare nequit, esse id, quod concepit, animal rationale. Ergo, qui explicitè concepit Deum ut cumulum omnium perfectionum cogitabilium, atque adeò ut habentem existentiam realem, quæ est vna ex hisce perfectionibus, negare non potest, illum talem existentiam habere.

70 Verum enim verò esse sophisticum nihilominus, & fallacem discursum Anselmi, etiam prout à nobis est explicatus, per manifestas instantias videtur convinci. Imprimis enim nihil est, quod veteri, apprehendere me, non esse verum Deum, qui modò est, & esse alterum chymericum illi per omnia æqualem, atque adeò talem, quo nihil maius possit excogitari. Pro quo recurrit totum argumentum Anselmi. Cum tamen certissimum sit, me virtute talis apprehensionis non convinci ad affirmandum, talem Deum existere; cum potius evidentissime negem, etiam quo tempore illum summè perfectum, & consequenter actum existentem apprehendo: imò verò, nisi eum apprehenderem existentem: nequiquam negare possem, esse existentem: quia negatio existentia sine existentia ipsa apprehensa concipi non potest, ut constat, in nostraque Pharo Scient. disput. 2. quaest. 4. ostensum est.

71 Sed: quidquid sit de apprehensione chymERICI Dei summè perfecti, quam forsitan, putabit aliquis, esse impossibilem; nemo negare potest id, quod ad rem nostram satis videtur, posse vnumquemque cogitare, seu apprehendere, secundum Deum chymericum, aut secundum Mundum possibilem existentem à parte rei, quin inde vlatenus induci possit ad affirmandum, esse illum existentem à parte rei, uti apprehenditur. Quinimo, quicumque credit, credendoque negat, existere secundum Mundum, aut esse alium Deum præter vetum, iuxta illud divinum oraculum Deut. 32. *Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*, non potest non simul apprehendere existere re ipsa alium Mundum, aut alium Deum: quia non potest non apprehendere, quod negat. Negat autem, existere re ipsa alium Mundum, aut alium Deum. Et vniuersim, quæcunque negamus existere, eodem tempore apprehendimus existentia. Tantum abest, ut apprehensio rei existentis cogat nos ad affirmandum, ipsam existere. Nequit igitur apprehensio de Deo ut summo bono, quo nihil maius est cogitabile, & consequenter ut re ipsa existente mouere nos, nedum cogere, ad affirmandum, illum re ipsa existere, aut oblatere,

quominus id negare possimus, nisi aliud obstat; uti prætendebat Anselmus.

Quare, ut ad ipsius argumentum, prout à 72 nobis est confirmatum, respondeamus, iuxta doctrinam suppositam num. 44. & latius expositum in Pharo Scient. disput. 10. dicendum est, hanc propositionem *Ens existens à parte rei est existens à parte rei*, quæ in illà inclusa est eiusdem Anselmi *Ens, quo nihil maius cogitari potest est existens à parte rei*; bifariam usurpari posse. Primò in sensu merè quiditativo, siue obiectiuo. Secundo in sensu, existentiali. Toridèmq; modis accipi posse propositionem negatiuam contradictoriã; nimirum *Ens existens à parte rei non est existens à parte rei*, Si in primo sensu merè quiditativo, siue obiectiuo propositiones istæ sumantur, affirmatiua quidem evidenter est vera ex terminis; negatiua autem ex terminis etiam est evidenter falsa: nullusque intellectus subinde, aut affirmatiuæ dissentire, aut negatiuæ assentire potest. Si verò sumantur in sensu existentiali, nec affirmatiua, nec negatiua est à nobis ex terminis iudicabilis: quia de nullo ente apprehenso non impossibili possumus nos pro statu præsentè citra experientiam ex ipsis terminis iudicare, aut quòd est existens, aut quòd non est existens in statu existentiali absoluto, ut satis ex se notum est; & ex doctrinà statuta num. 45. hypoth. 10. colligitur. Idque quantumuis tale ens ex parte subiecti propositionis ut actum, & absolute existens apprehendatur. Nam, ut iudicare non possumus *Petrus albus currit* absque fundamento ad iudicandum *Petrus esse albus*, iuxta dicta num. 48. ita nec iudicare possumus *Petrus existens existit* in sensu dicto absque fundamento ad iudicandum in eodem, *Petrus existere*. Et, ut iudicare non possumus *Petrus albus non currit* absque fundamento ad iudicandum, *Petrus aut albedine, aut cursu carere*: ita nec iudicare possumus *Petrus existens non existit* absque fundamento ad iudicandum, *Petrus aut existentia posita ex parte subiecti, aut existentia posita ex parte prædicati, quæ prorsus est eadem, carere*. Loquutus autem sum de ente apprehenso non impossibili: quia de ente expresse apprehenso ut impossibili, quantumuis insuper apprehendatur existens, bene possumus iudicare ex terminis, quòd non existit à parte rei in sensu existentiali absoluto iuxta dicenda infra. Recognosce doctrinam hanc latius expositam, & demonstratam disp. illà 10. Phari: ne iterum ibi actum agamus.

73 Quæ cum ita sint, iam apparet propositionem illam Anselmi *Ens, quo nihil maius cogitari potest, est existens à parte rei*, evidentissimam esse ex terminis, si in sensu merè quiditativo, siue obiectiuo sumatur: nullumque subinde intellectum, si bene terminos apprehendat, aut eam negare in tali sensu, aut negatiuæ contradictoriæ assentire posse. Quod solum discursus Anselmi probat. Hinc tamen nullo modo sequitur, esse ex terminis iudicabile, nedum evidens, quòd sic existens à parte rei in statu existentiali absoluto ens, quo nihil maius sit cogitabile; & consequenter, nec, quòd sic Deus sub tali conceptu apprehensus; uti ipse Anselmus intendebat. Quemadmodum ex eo, quòd evidenter fit à nobis ex ipsis terminis iudicabile de quolibet ente seu impossibili, seu possibili apprehenso ex parte subiecti prout existente à parte rei, quòd illud est tale, nempe existens à parte rei,

ex suo conceptu obiectiuo, sine prout in statu quiditatio, seu obiectiuo, non sequitur, esse de eodem sic apprehenso iudicabile, nedum evidens, quod tale sit à parte rei in statu existenti absoluto. Per quæ, quomodo ad argumentum Anselmi, prout est ab ipso formatum, & à nobis confirmatum, sit respondendum, palam est. Videantur nihilominus dicenda proposit. 4, ubi illud iterum paulò aliter urgebimus, & diluemus. Quo maiorem lucem accipiet doctrina, tradita.

74 Modò tamen contra proposit. 3, tertio potest opponi. Hæc propositio *Deus est, vel non est* est per se nota. Ergo & hæc *Deus est*, Consequentia est bona. Nam, si in Deo utcumque à nobis pro præsentè statu apprehenso possumus deprehendere connexionem, quam habet eum prædicato primæ propositionis, cur non poterimus itidem deprehendere, quam habet cum prædicato secundæ? Respondeo: quia prior connectio conuenit Deo, in quantum est aliquid conceptibile; quod est omnium communissimum prædicatum; cuiuslibet enim, quod in mentem cadere potest, est prima, & euidentissima passio esse, vel non esse sub disiunctione. At connectio posterior conuenit Deo, in quantum est Deus: solius quippe Dei proprium est, essentialiter connecti cum suâ existentia. Quid ergo mirum, si prior connectio oriunda ex tam vniuersali prædicato in Deo utcumque apprehenso illico sese prodar, secus posterior oriunda ex tam speciali? Quandoquidem eò nobis est vnum quodque notius, quò vniuersalius est, & eò ignotius, quò specialius, vt diximus in Pharo Scient. sapè.

75 Quartò denique obijci potest. Hæc propositio est per se nota. *Deus est colendus*, Ergo & hæc *Deus est*, quæ ad eam necessario supponitur, Prius enim est in Deo existere, quàm esse dignum cultu. Mayron. in 1. dist. 2. q. 1. sine, & Smising. tract. 1. de Deo vno disp. 1. q. 2. n. 38. negant antecedens. Sed ego cum Gillcap. 3. cit. n. 13. Passol. dubit. 3. n. 22. Molin. & alijs communiter, concessio antecedente; nego consequentiam. Quia nihil vetat, esse primam rei proprietatem ex terminis à nobis ignoram; & tamen, semel eà cognita aliunde, ex terminis esse notam secundam; ponendo scilicet ex parte subiecti propositionis obiectiuæ primam iam notam, & ex parte prædicati secundam, prout supra n. 45. hypoth. 14. notatum est.

#### Propositio 4.

76 Quantumuis apprehendamus Deum, sub conceptu entis necessarij, independentis à causâ primâ, non facti, vel non habentis superiorem, &c. circumscripito tamen respectu eius ad creaturas, quas experimur prout existentes, hæc propositio *Deus est* non est per se nota quoad nos.

Adijcio hanc propositionem speciatim, alijs sufficienter contentam in præced. propter Recentiores sentientes oppositum, quos supra commemorauimus num. 41. Ea autem tum argumentis pro posteriore illius parte confectis satis probata manet, tum solutione argumentorum, quæ contra obijciunt Recentiores, magis, ac magis perspicua fiet.

77 Arguunt enim sic primò. Hæc propositio

est per se nota *Necessarium non est non existens*: si enim necessarium esset non existens, non existens esset necessarium; quod repugnat. Igitur per se notum est, aliquod necessarium esse existens. Confirmant primò: quia falsitas harum, propositionum est per se nota, *Aliquod contingens est necessarium, Aliquod impossibile est necessarium*. Ergo, quia, vt per se notum supponitur ad utramque, necessarium existere. Confirmant secundò: quia hæc est per se nota, *si necessarium non est impossibile, existit*. Sed de purificatione conditionis nulla est opposita suspicio; cum evidens sit, id, quod necessarium est, non esse impossibile. Ergo. Confirmant tertio: quia non magis opponitur impossibili existentia, quàm necessario non existentia, Sed est per se notum, impossibile non existere. Ergo & necessarium existere. Vel aliter quartò possent sic confirmare. Equè euidenter connectitur necessarium cum suâ existentia, atque impossibile cum suâ non existentia. Sed, impossibile non existere, per se est evidens per se. Confirmant quinto: quia necessarium, & impossibile opposita sunt. Sed impossibile non existit, Ergo necessarium existit.

78 Hæc omnia, & alia mox subiicienda acuta, quidem ad rem sunt, sed egregij paralogismi, inde profectio nati, quòd Recentiores non aduerterunt duplicem illum modum num. 44. suppositum, quem iudicandi habemus de quouis obiecto apprehenso; nempe, quoad quid est in statu mera quiditatio, seu obiectiuo, & quoad an est in statu existenti. Quo iterum in præsentè supposito, vt prædicatum, aliorumque sophismatum fallaciam detegam, totamque rem plenè, & planè declarem. Suppono insuper primò ex dictis vniuersalius in eà disput. 10. Phari, id, quod à nobis de quouis subiecto apprehenso est iudicabile prout in statu quiditatio, seu obiectiuo, aut esse essentiam, aut partem essentia, aut passionem talis subiecti, vel positiuam, vel negatiuam. Si sit essentia, aut pars essentia, distinctèque apprehendatur ex parte subiecti, ex terminis de illo à nobis iudicabile erit: tum etiam, si sit passio immediata, connectioque subiecti cum illa sufficienter sit detecta respectu nostri; secus, si alterius sit conditionis.

Suppono secundò, id, quod ex suo conceptu obiectiuo est tale, eo ipso fore tale re ipsa ex hypothesi, quòd existat: quia impossibile est, quòd existat aliquid sine suâ essentia, aut passione. Quale est, quod vnicuique conuenit ex suo conceptu obiectiuo, vt diximus.

80 Suppono tertio, id solum esse reuera, & simpliciter impossibile, quod ex suo conceptu obiectiuo eiusmodi est, vt si existeret, duo contradictoria simul existerent; vel quia illud secum ferret utrumque; vel quia illud alterum, ferret secum, alterumque aliunde inuitabiliter esset. Id autem solum esse reuera, & simpliciter possibile, quod, si existeret, sine contradictione existet: quia necunde existent cum illo duo contradictoria. Vnde ad iudicandum, esse aliquid simpliciter, & reuera possibile, non satis est iudicare, esse illud possibile ex suo conceptu obiectiuo possibilitate, siue potentia ad existendum tali conceptui annexâ quoquo modo. De quouis enim apprehenso possibili est iudicabile euidenter, quòd est possibile ex suo conceptu obiectiuo: quid namque euidentius, quàm

quàm possibile esse possibile? Et tamen fieri potest, quod illud sit tale, ut, eo existente, duo simul contradictoria existerent; ut cernere est in secundo Deo apprehenso possibili. Ad iudicandum verò, esse aliquid simpliciter, & reuerà impossibile, sat est iudicare, esse illud tale ex suo conceptu obiectiuo: quia, quod ex conceptu suo obiectiuo, subindeque ex essentia sua fert secum duo contradictoria, atque adeò impotentiam ad existendum, in qua consistit impossibilitas obiectiua, eo ipso tale est, ut si existeret, duo simul contradictoria existerent. Vnde rursus deprehendes, valde ad rem inter se differre possibile, & impossibile. Omne enim impossibile obiectiuum euidenter est impossibile reuerà, & simpliciter; non verò omne possibile obiectiuum reuerà, & simpliciter est possibile. Etenim omne apprehensum impossibile, siue impotens ad existendum, siue, (quod in idem recidit) ferens secum duo contradictoria prout tale euidenter est talis essentia obiectiua, ut, si existeret, duo contradictoria existerent. Cum tamen fieri possit, ut apprehensum possibile, seu potens existere prout tale talis essentia obiectiua sit, ut non existeret sine contradictione, si existeret: eo quòd, licet expressè, & formalitè non ferat secum vtrumque extremum contradictionis, aut fert confusè, vel eminenter, aut ita fert alterum tantum, ut casu, quòd existeret, aliunde alterum inueniabiliter esset. Ex quo tandem fit, ut, licet de quouis apprehenso impossibili modo dicto prout tali possimus iudicare, esse illud simpliciter, & reuerà impossibile; quia de quouis est nobis evidens coexistiturum duobus contradictorijs, si existeret: De nullo tamen apprehenso possibili ut tali ex vi talis apprehensionis iudicare possimus, esse illud simpliciter, & reuerà possibile: quia nescimus aliunde ferent duo contradictoria, si existeret; esto sciamus non fore ex vi conceptus eius expressi. Quippe possibile, & impossibile, ut bonum, & malum se habent: quorum primum ex integrà causà, secundum ex quocunque defectu tale est.

81 Hinc suppono quartò, ut aliquid ens reuerà, & simpliciter sit necessarium in existendo, possibile illud esse debere reuerà, & simpliciter: quia, quod verè non est possibile, non potest esse verè necessarium, ut constat; quantumvis sit tale obiectiuè, eo quòd à nobis necessarium, atque adeò possibile concipitur. Vnde, quia de nullo obiecto, quantumvis apprehenso possibili, possumus nos ex terminis iudicare, verè, & simpliciter esse possibile, ut dictum est; etsi euidenter iudicare possumus, esse illud possibile ex suo conceptu obiectiuo; conficitur, nec de vilo ente, quantumvis apprehenso necessario, posse nos iudicare ex terminis, esse necessarium verè, & simpliciter: quantumvis euidenter iudicare possumus, esse illud necessarium ex suo conceptu obiectiuo. Ex quo rursus efficitur, etsi de ente apprehenso necessario possumus iudicare, quòd est existens ex suo conceptu obiectiuo: quia existentià est passio immediata euidenter sequens necessitatem in eo apprehensam: neutiquam tamen posse nos iudicare, quòd est existens in statu existentiali absoluto: quia necessitas merè quiditatiua, siue obiectiua, quæ cum verà impossibilitate, quantum ex se est, potest compati, ut constat ex dictis, solum infert existentiam, prout in statu quiditatio, seu obiectiuo; non-

item prout in statu existentiali absoluto; ut etiam est notum.

His positis, ad argumentum oppositum, 82 ad eiusque confirmationes respondeo primò; si quid probant, probare vtiq; per se notum, esse quoad nos, existere de facto modò innumera entia necessaria. Quod est absurdum. Si enim quatuor, aut plura entia necessaria apprehendas, æquè euidenter de omnibus, ac de quolibet iudicabis, esse existentia: quia omnia æquè euidenter, atque quodlibet, sunt ex conceptu suo obiectiuo cum sua existentia connexa, & ab illà inseparabilia. Ex quo argumenti, & confirmationum imprimis apparet fallacia. Deinde ad argumentum ipsum respondeo secundò, propositionem illam *Necessarium non est non existens* esse quidem per se notam in sensu merè quiditatio, siue obiectiuo; secus in sensu existentiali: quia ex eo, quòd necessarium sit existens ex suo conceptu obiectiuo, non fit, quòd sit etiam existens in statu existentiali reali. Vnde nullum est inconueniens, quòd aliquid non existens realiter sit necessarium quiditatiuè, seu obiectiuè, ut in secundo Deo chymérico cernere est; qui cum ex suo conceptu obiectiuo sit necessarius, atque adeò & existens existentiuè; existentialiter tamen absolute talis non est. Ad primam confirmationem respondeo, ex eo, quòd propositiones illæ *Aliquod contingens est necessarium, Aliquod impossibile est necessarium*, sint euidenter falsæ in aliquo sensu, solum effici per se evidens, quòd necessarium est existens ex suo conceptu obiectiuo; non item, quòd est existens in statu existentiali. Ad secundam concedo, eam propositionem *Si necessarium non est impossibile, existit*, in omni sensu esse euidentem. Nego tamen, esse euidentem purificationem conditionis eius: quia licet necessarium ex vi conceptus necessarii præcisè nullo modò sit impossibile; simpliciter tamen, & reuerà potest esse impossibile, ut patet in secundo Deo necessario apprehenso. Ad tertiam, & quartam confirmationem dico, ex eo, quòd a què repugnet necessario non existere, atque impossibili existere, siue æquè connectatur necessarium cum sua existentia, atque impossibile cum sua non existentia, dumtaxat sequi, necessarium æquè euidenter esse existens in statu quiditatio, seu obiectiuo, ac est in eodem impossibile non existens; secus in statu existentiali. Tamen in hoc insuper impossibile euidenter sit non existens ob suam specialem naturam. Ad quintam denique respondeo, distinguendo antecedens. Necessarium obiectiuum, quæ tale, & impossibile reuerà sunt opposita; nego: quia fieri potest, ut quòd à nobis apprehenditur necessarium, reuerà sit impossibile, ut patet in secundo Deo. Necessarium verum simpliciter, si datur, & impossibile sunt opposita; concedo. Vtrum verò detur, vel scietur, ex terminis nos scire non possumus. Quæ omnia ex præsupposità doctrinà satis, superque conspicua sunt.

83 Secundò arguunt Recentiores. Potentia ad vtrumvis contradictorium contingens non potest non existere necessario: quia si deficere possit, possent ambo contradictoria deficere; cum neutrum possit existere sine tali potentia. Ergo aliquid necessarium existit. Hoc argumentum imprimis supponit, dari aliquid verè contingens, quòd certè non adeò videtur per se notum, ut iure queat absque probatione supponi.

poni. Possent enim quispiam illud negare dicens; cuncta, etiam quæ sub experientiam cadunt, necessarîo, inuitabiliterque enisere, quo tempore existunt; atque adeo eorum contradictoria omnino esse impossibilia. Sed est, sint contingentia, quæcunque volueris contradictionis extrema: non bene inferens, eorum potentiam debere esse quid necessarîo existens; imo & positium, & increatum, & ens à se, atque adeo Deum, vti præ tendis. Primò: quia falsum est, & satis alienum à communi existimatione, potentiam ad vtrumvis cuiusvis contradictionis contingens extremum esse identificatam cum Deo. Pro quo videri possunt, quæ in Pharo Scient. disput. 10, scripta dedimus. Secundò: quia extremum negatiuum contingens cuiusvis contradictionis nullâ potentia à se distinctâ eget ad existendum iuxta dicta ibid, disput. 9, quæst. 3, & 5. De potentia autem ad positium non est per se euidenter notum, debere esse quid necessarîo existens, vt patet. Fateor ex eo, quòd aliquid sit contingens inferri aliter per discursum, debere aliquid necessarîo existere. Quia nimirum, si cuncta contingentia essent, nihil esset contingens: quia cuncta possent deficere; & casu, quòd cuncta deficerent, nihil posset existere: cum nihil in tali casu possibili de suo non esse ad esse transire posset. Hoc tamen solum probat, aliquam causam contingentium debere esse necessariam quoad existentiam in eo tempore, quo dat illis esse; non item quoad existentiam in omni tempore, qualis causa prima esse debet. De quo iterum redibit sermo infra quæst. 7.

84 Tertiò arguunt. Si necessarium non existit, eius non existentia nequit esse contingens, vt patet. Ergo vel est impossibilis: & habetur internum: quia existentia erit necessaria: vel est necessaria: & iterum habetur: quia iam erit aliquid necessarîo existens, nempe talis non existentia. Hoc argumentum solum probat, ens necessarium aut existere necessarîo, aut necessarîo non existere. Verùm inde non fit, existere aliquid necessarium in vtrius contradictionis euentu: quia non existentia entis necessarîi non est aliquid, sed merum nihil, vt in Pharo Scient. disput. 9, quæst. 3, nuper citatâ ostensum est.

85 Quartò arguunt. Per se notum est, impossibilitatem impossibilis existere. Sed talis impossibilitas est necessaria. Ergo per se notum est, aliquid necessarium existere. Nego maiorem: quia, vt impossibile verè sit impossibile, non est necesse, quòd impossibilitas eius sit quidpiam existens; sed sufficit esse illud tale ex suo conceptu obiectiuo, quale si existeret, duo contradictoria simul existerent. De quo plura sunt dicta in Pharo Scient. disput. 10, & 11, quæ ad rem possunt videri.

86 Quintò arguunt. Hæc propositio per se nota Quodlibet est, vel non est aliquam veritatem obiectiuam habet. Non contingentem, neque impossibilem. Ergo necessariam. Tantumdemque est de alijs huiusmodi propositionibus, quas vocant æternæ, & necessariæ veritatis, vt *Totum est maius sua parte. Homo est animal rationale, &c.* Ergo ex parte rerum aliquis modus, vel status necessarius datur eiusmodi veritatum necessariarum, qui nequit esse aliquid distinctum à Deo. Respondeo, de nullâ veritate necessariâ esse per se notum, quòd sit talis prout in statu existentiâ absoluto, sed tantum prout in statu merè quiditatiuo, seu obiectiuo, aut etiam prout in statu

existentiâ conditionato. Vnde ex necessitate talium veritatum non bene arguitur, esse aliquid necessarium quoad absolutam existentiam. De quo etiam plura sunt dicta in eâ disput. 10. Pharo Scient. Vbi ex professo explicatum est, & ostensum, quomodo necessitas veritatis prædictarum propositionum aut sit merè quiditatiua, hoc est, de quiditate obiectorum, si sit absoluta, aut sit tantum conditionata, si sit existentiâ, hoc est, de existentia tantum conditionata obiectorum. Ex quibus nullius obiecti potest vllatenus inferri necessitas quoad existentiam absolutam. Qualis est necessitas Dei.

Iam verò, quòd sit per se notum existere aliquos alios conceptus proprios Dei, cum ipsoque conuerbiles, sequentibus satagunt idem. Recentiores probare. Et primùm de conceptu entis independentis à causâ primâ sic. Per se notum est, existere, vel non existere causam primâ. Si existit, ipsa est independentis à causâ primâ. Si verò secus, aliquid ens eorum, quæ experimur, tale erit. Ergo per se notum est existere ens independentis à causâ primâ. Quæ eadem formâ, censent, ostendi existere aliquid ens non habens Deum pro superiore, aliosque similes conceptus. Sed verò formâ hæc arguendi fallacia æquiuocationis subnixâ est. Bisariam enim, & satis æquiuocè dici aliquid potest independentis à causâ primâ. Primò ex defectu dependentiæ ab omni causâ: quo solum pacto conceptus independentis à causâ primâ proprius est Dei. Secundò ex defectu tantum causæ primæ citra defectum dependentiæ ab aliqua causâ: quo pacto conceptus independentis à causâ primâ alienissimus est à Deo. Fateor ergo, suppositâ existentia Mundi, euidenter esse, vnum, vel alterum dictorum conceptuum de facto dari; non verò itidem, dari determinatè primum, prout oportebat, vt esset euidentis, dari conceptum proprium Dei. Tantumdemque cense de conceptu entis non habentis Deum pro superiore, & de similibus. Addendum tamen est, suppositâ experimentalis euidentia, quam de existentia creaturarum habemus, euidenter posse cognosci à nobis, dari conceptus entis independentis ab omni causâ, non facti, non habentis superiorem, aliosque huiusmodi proprios Dei: quia ex creaturis euidenter notis euidentiam causæ primæ tales ferentis secum conceptus haurire possumus. Modò tamen sermo nobis non est de modo isto cognoscendi Dei existentiam ex creaturis.

Deinde de conceptu entis essentialiter existens idem assumptum ita probant. Per se nota est propositio, cuius contradictoria idem simul affirmat, & negat. Sed contradictoria huius *Aliquod ens essentialiter existens existit*, nimirum, *Nullum ens essentialiter existens existit* idem simul affirmat, & negat. Igitur hæc *Aliquod ens essentialiter existens existit* per se nota est. En aliud sophisma. Respondeo ad illud ex doctrinâ in superioribus datâ, propositionem illam *Nullum ens essentialiter existens existit*, vt sonat, quo pacto est contradictoria alterius, non affirmare, & negare idem, sed merè negatiuam esse iuxta doctrinam datam supra num. 47. & sequentibus. Aliunde tamen sumptam in sensu merè quiditatiuo, seu obiectiuo euidenter esse falsam: quia negat, quòd euidenter tale est in eo sensu. Sicut hæc *Nullus homo est homo*. In quo proinde sensu eius contradictoria *Aliquod ens essentialiter existens existit* ex terminis euidentis est. In sensu

verò

verò existentiæ absoluto, de quo tractamus, neutra est à nobis ex terminis iudicabilis, ut supra num. 72. in simili diximus de illis similibus propositionibus *Ens existens à parte rei est existens à parte rei. Ens existens à parte rei non est existens à parte rei.* Quod si verò propositio illa, *Nullum ens essentialiter existens existit pro hac vsurpetur Nullum ens, quod essentialiter est existens, existit;* Quo pacto idem simul negabit, & affirmabit, eoque titulo tam in sensu existentiæ, quam in sensu quiditativo falsa evidenter erit: tunc non erit contradictoria eius illa *Aliquod ens, quod essentialiter est existens, existit,* sed hæc *Aliquod ens essentialiter existentium vel est tantum existens essentialiter, vel tantum non existens.* Hæc autem æquè evidenter vera est in omni sensu, ac eius contradictoria falsa. Propositioni quippe idem simul affirmanti, & neganti per merè affirmantem idem non contradicitur: sed per adstruentem sub disjunctione unum, vel alterum ex extremis contradictionis cum exclusione alterius, ut pluribus explicui in Pharo Scient. disp. 3. quæst. 4. Ex quibus patet, nihil probari per sophisma propositum. Et quidem, si eiusmodi arguendi formæ aliquid ad rem probaretur, probaretur utique, dari de factis innumera, aut etiam infinita entia essentialiter existentia: quod est absurdum. Quo eodem defectu laborant alia argumenta ex Recentioribus recensita: unde manifesta fit eorum fallacia.

89 Postremò contra propositionem datam sic argui potest iuxta rationationem Anselmi superius expositam. Qui concipit Deum ut ens optimum cogitabilem, eo ipso concipit ipsum ut ens reuerà, & simpliciter necessarium, atque adeò etiam reuerà, & simpliciter possibile; cum evidenter sit melius tale esse, quam tale non esse, repugnetque planè, quòd ens optimum sit impossibile, aut contingens; quandoquidem impossibilitas, & contingentia imperfectiones sunt manifestè alienissimæ ab optimo. Sed de ente reuerà, & simpliciter necessario per se notum est, quòd existit in statu absolute reali. Ergo de Deo ut ente optimo cogitabilem concepto, qualis ab unoquoque pro libito concipi potest, per se notum est, quòd existit in statu absolute reali. Respondeo quantumvis apprehendatur ens ut reuerà necessarium, atque adeò possibile, & aqualiter existens, fieri posse, ut tale non sit, sicut apprehenditur; in statu existentiæ. Et idè, licet de ente sic, aut alio quouis modo apprehenso possit iudicare intellectus, quòd tale est ex suo conceptu obiectiuo intra statum quiditativum; est indè non fit, ut etiam iudicare possit, quòd reuerà, & simpliciter sit tale in statu existentiæ; prout fufius explicatum est in Pharo Scient. disput. illà 10. sæpe citatà. Ex quo patet, quantumvis, qui apprehendit ens optimum, apprehendat illud, ut necessarium reuerà, & ut possibile, & ut existens actu; adhuc non posse iudicare absolute, quòd tale reuerà, sicut apprehenditur, est in statu existentiæ; sed tantum quòd tale est de suo in statu quiditativo præcisè. Ex quo iudicio transire nequit ad iudicandum, illud existere in dicto statu existentiæ absolute reali.

90 Instabis. De ente optimo apprehenso potest unusquisque iudicare esse optimum: quid enim evidentiùs, quam ens optimum ens optimum? Sed nequit esse, ens optimum, nisi quòd reuerà est necessarium, & possibile. Ergo de

ente optimo apprehensio potest unusquisque iudicare esse reuerà necessarium, & possibile, atque adeò & existens. Distinguo maiorem. De ente optimo apprehenso potest unusquisque iudicare, esse optimum ex suo conceptu obiectiuo; concedo; reuerà, & simpliciter, nego: quia ad iudicandum aliquid reuerà, & simpliciter esse optimum, necesse est iudicare absolute, illud reuerà, & simpliciter esse possibile; atque adeò fore illud immune ab omni contradictione, si existet. Quod tamen de nullo conceptu apprehenso possumus pro præsentè statu nos iudicare ex vi apprehensionis eius præcisè, ut superius statutum est. Ex quo patet, de ente optimo apprehenso solum posse iudicare unumquemque, esse illud necessarium, & possibile, atque adeò, & existens ex suo conceptu obiectiuo in statu quiditativo præcisè: non item reuerà, & simpliciter in statu existentiæ. De quo iterum redibit sermo quæst. 7. Et inferius disput. 15. quæst. 9.

Ex dictis hætenus infero cum Recupit. Quirós supra, & alijs, neque ab Angelis prout in statu naturæ esse per se notam propositionem. *Deus est independentè ab existentia creaturarum:* quia etiam Angeli in statu naturæ concipiunt imperfectiùs Deum, quam, ut eis talis propositio possit ut sic ex terminis innotescere.

Propositio 5.

Hæc propositio *Deus est per se nota,* est comparatione Beatorum intuentium Deum. Necnon comparatione eorum, qui Deum per propriam speciem quoad quid est cognoscerent clarè citra intuitionem, quoad an est.

Hoc sibi volunt Scotistæ supra commemorati cum Scoto. Et prior quidem propositionis pars notissima est: quia videntes Deum intuitivè immediate citra discursum iudicant, ipsum existere. Ergo per se immediate notum est illis obiectum propositionis *Deus est.* Quod in se veritas simplex est: tametsi comparationis nostri composita sit per rationem ex prædicato & subiecto. Quæ differentia ad rem non interest. Nihilque proinde præstat contra Scotistas Recupit. supra quæst. 6. dum contra eos argumentatur in illa fundatus. Cum tamen Scotistæ ab ipso in re non dissentiant.

93 Posterior autem pars propositionis procedit ex suppositione, quòd sit possibilis (ut ego cum Scotistis opinor) cognitio clara per propriam speciem habita, qua non iudicetur Deus quoad an est, sed tantum quoad quid est, aut etiam, qua solum apprehendatur simpliciter, de qua iterum redibit sermo quæst. 6. Quæ suppositione facta, probatur primò: quia quicumque Deum, adeò perspicuè, & clarè conciperet, non posset non deprehendere connexionem necessariam, quam ille habet cum suà existentia actuali. Ergo posset per talem conceptionem induci ad iudicandum immediate, evidenterque, Deum existere. Secundò: quia, qui Deum ita conciperet, multò præstantiùs cognosceret, quid est Deus, quam nos per alienas species cognoscimus, quid sunt subiecta uniuersalissima principiorum scientiarum. Sed nos, cognita quiditate talium subiectorum, immediate iudicamus de illis suas primas passionis, verbi gratia, cognito, quid sit totum, immediate iudicamus, esse illud maius sua

suâ parte, &c. Ergo, qui Deum ita conciperet, immediatè iudicaret ipsum existere; quæ est prima, vel vna ex primis passionibus eius. Tertio: quia nos de obiectis sensu perceptis immediatè citra discursum iudicamus existere, etsi ea cum suâ existentia connexa non sint; eo quod per species proprias per sensus hausas illa concipiuntur. Igitur, qui per speciem propriam præstantiorem, utpote intellectualem, Deum conciperet aliàs cum existentia suâ necessariò connexum, multò præstantius haud dubiè posset immediatè iudicare, ipsum existere. Hæc satis modò: nam ex dicendis quæst. 6. proposit. 2. maiorem hæc pars lucem accipiet.

### QVÆSTIO VI.

#### *Verum, Deum esse, sit demonstrabile.*

94 **P**rima sententia absolutè negat. Pro quâ sunt Petrus Alliacensis in 1. quæst. 3. artic. 2. Hochot. quæst. 4. Basol. distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. & distinct. 3. quæst. 1. art. 3. Maior. distinct. 2. quæst. 1. Gaspar Casal. lib. 1. de quadripartitâ iustitiâ cap. 16. referens pro se Andræam de Castro nouo in 1. distinct. 2. quæst. 4. & Rabi Moyses lib. 3. cap. 6. Putant enim isti Doctores rationes, quibus probatur, Deum esse, etsi sint valde probabiles, non tamen habere euidentiâ ad demonstrationem requisitam. Id quod etiam videtur sentire Gabriel in 1. distinct. 2. quæst. 10. artic. 3. dub. 1. Aliunde arbitrantur, non posse propriè demonstrari, Deum esse, Egidius in 1. distinct. 3. 1. par. quæst. 3. Argent. quæst. 1. artic. 3. ad 2. & Abulen. in cap. 5. Exod. quæst. 2. quia nimirum, Deum esse, per se, & ex terminis est notissimum, ut ipsi opinantur.

95 **S**ecunda sententia est, etiam à priori posse demonstrari Deum esse, non quidem à nobis iuxta modum cognoscendi ordinarium, sed à Beatis mediâ visione beatificâ, aut etiam à viatoribus, quibus Deus, ut potest, communicaret per propriam speciem notitiâ clarâ, & quiditatiâ, non verò intuitiâ, sed abstractiâ sui. Ita Scot. in 1. distinct. 2. quæst. 2. §. *Sed si quaeritur*, & ibi eius discipuli communiter, Ocham distinct. 3. quæst. 4. Gabriel quæst. 4. artic. 2. Rubio. distinct. 2. quæst. 1. artic. 2. Theodo. Smif. tract. 1. de Deo vno disput. 1. quæst. 5. num. 74. & indicant quidam Recentiores, quos tacito nomine citat Tan. mox referendus: neque dissentit in re Arriag. 1. par. disput. 2. sect. 2. num. 13. quidquid sit de modo loquendi.

96 **T**ertia, ac veluti media sententia asserit, à posteriori quidem posse demonstrari, Deum esse; à priori verò non item. Sic sentit S. Tho. 1. par. quæst. 2. artic. 3. & quæst. 3. artic. 5. & lib. 1. contra Gent. cap. 12. Albert. in Sum. tract. 3. quæst. 17. Henric. in Sum. artic. 22. quæst. 1. & 4. Bonau. in 1. distinct. 2. par. 1. artic. 1. quæst. 2. Duran. in 1. distinct. 3. quæst. 3. & 4. Aureol. distinct. 2. quæst. 2. artic. 6. Molin. 1. par. quæst. 2. artic. 2. Caiet. ibid. & reliqui Thomistæ communiter, Valent. pun. 1. Vazq. disput. 20. Escol. dubit. 1. 2. & 3. Gill. lib. 1. tract. 8. cap. 4. & 5. Soar. disput. 29. Metaph. sect. 3. & lib. 1. de Attrib. cap. 1. Gran. 1. par. controu. 1. tract. 1. disput. 1. & 2. Tan. disput. 2. quæst. 1. dub. 3. Arriag. supra. Pascualigus tom. 1. sacræ doctrinæ disput. 7. sect. 3. & 4. Præposit. 1. par. quæst. 2. artic. 2.

Auerf. quæst. 2. sect. 1. Francisc. Amic. disput. 2. sect. vnicâ, Recupit. lib. 1. de Deo quæst. 8. & 9. Martin. 1. par. disput. 2. quæst. 1. Quiros disput. 13. sect. 1. & apud eos alij plures.

Pro resolutione suppono ex dictis latius in 97 Pharo Scient. disput. 19. quæst. 8. & disput. 20. quæst. 11. eam esse propositionem demonstrabilem, quæ per euidentiâ illationem ex euidentiâ principijs inferitur. Demonstrationis autem duplex imprimis genus est. Alia enim est demonstratio ostensua. Alia deducens ad impossibile. Ostensua dicitur ea, in qua iudicatis principijs, directè pergitur ad iudicandam conclusionem propter connexionem principiorum cum illâ. Deducens autem ad impossibile appellatur, in qua, accepto contradictorio eius, quod assumitur demonstrandum, ex illo tanquam ex principio supposito discurret inferendo intellectus, donec incidit in aliquid planè impossibile, aut manifestè falsum. Vnde regrediendo concludit, falsum esse id, vnde tale quid est illatum; (cum falsum ex vero nequeat inferri); & consequenter verum eius contradictorium. Quod fuerat assumptum demonstrandum. Porro demonstratio ostensua rursus est duplex. Alia, quam vocant à priori, siue *propter quid*, in qua per causam demonstratur effectus. Alia, quam dicunt à posteriori, siue *quia*, vel *quod*, in qua per effectum demonstratur causa. Impræsentiarum autem nomine causæ id omne venit appellandum, quod prius quoquo modo est alio seu physicè, seu metaphysicè; & nomine effectus, quod posterius. His ego addo aliam speciem demonstrationis ostensuæ, quam immeritò prætermiserunt Aristotelici, nempe, quæ neque est à priori, neque à posteriori, sed à simultaneo. De quibus omnibus plura loco citato.

#### Propositio 1.

Hæc propositio *Deus est* neutiquam 98 est demonstrabilis à priori respectu nostri, spectato modo ordinario, quem habemus intelligendi.

Ita omnes. Et probatur facilè. Primum enim existentia Dei non habet causam physicam sui, ut constat. Ergo non potest demonstrari à priori per causam physicam. Deinde nec per essentiam metaphysicam Dei prius cognitam, (quæ sola dici potest veluti causa metaphysica, siue radix eorum, quæ dicuntur de Deo), potest à priori demonstrari existentia. Nam hæc vel pertinet intrinsecè ad ipsam essentiam metaphysicam, ut multi arbitrantur; & sic per illam nequit demonstrari à priori: quia neque idem per se ipsum, neque pars per totum est à priori demonstrabilis, ut est notissimum. Vel est prima, aut ex primis passionibus talis essentia, ut nos censemus, constabitque ex dicendis quæst. 10. & neque ita per illam à priori demonstrabilis est: quia essentia metaphysica Dei non est à nobis cognoscibilis ante suas passiones, prout oportebat, ut hæc per illam demonstrarentur; sed potius per passiones ipsas primitus nobis explicatur, & innotescit, prout dicemus ibidem. Tum conceptus, quem de essentia ut à passionibus præcisâ formamus, vndecunque formemus istum, obscurior est, quam, ut possimus eo præventi deprehendere connexionem, quam ipsa essentia habet cum suis passionibus, uti quæst. præced. num.

num. 60. dicebamus. Tali autem connexionem non notâ, necunde possumus induci ad demonstrandas passiones per essentiam. Igitur per essentiam metaphysicam immediatè non est à nobis demonstrabilis à priori existentia Dei. Sed neque est per passionem aliquam se priorem: cum ipsa sit omnium prima, aut ex primis, uti supponimus. Igitur nullo modo existentia Dei est à nobis demonstrabilis à priori.

Propositio 2.

99 Hæc propositio *Deus est respectu Beatorum Deum intuentium non est demonstrabilis à priori.* Benè tamen respectu eorum, qui Deum per propriam speciem cognoscerent cognitione quiditatiuâ, & clarâ, sed præscendente ab existentia.

In priore parte propositionis dissentio ab Scotistis; consentio tamen cum illis in posteriore. Ut utramque probem, suppono primò, iam hic non esse sermonem de demonstratione existentia Dei per causam physicam, qualem notum est non habere, sed solùm per causam metaphysicam, qualis dumtaxat dici potest essentia Dei, ut etiam Scotistæ supponunt.

100 Secundo suppono, essentiam Dei duobus modis, quod ad rem attinet, posse excogitari cognoscibilem clarè, & per propriam speciem. Primò ut existentem absolutè, sicut realiter est in se. Secundò cum præcisione ab existentia absolutâ. Priori modo cognoscitur de factò à Beatis. Posteriori consent Scotistæ posse cognosci extra beatitudinem. Quibus ego in hac parte consentio; etsi alij plurimi contradicant. De quo ex professo agendum infra Tract. 8. ubi de visione clarâ Dei sermo erit. Itaque pono modò, possibilem esse cognitionem absolutam habitam per speciem propriam, qua clarè noscatur, seu iudicetur, quid Deus sit secundum se, siue ex conceptu suo obiectiuo; non verò, an sit à parte rei: & de hæc ago in propositione. Neque aliam esse potest, quam ponunt Scotistæ quiditatiuam, absolutam, & abstrahentem ab existentia, quacunque demum ratione explicent illam.

101 Igitur per essentiam diuinam prout visam, visione beatificâ nullatenus posse à priori demonstrari existentiam Dei, quæ est prima pars propositionis, videtur clarum. Quia nihil potest per se ipsum demonstrari à priori, ut constat. Sed existentia Dei, & essentia ut vnum quid prorsus indiuisum sunt obiectum visionis beatificæ: quia visio intuitiua non præscindit in obiecto formalitates, ut nostra imperfecta cognitio. Ergo per essentiam diuinam ut visam beatificè nullatenus existentia Dei potest demonstrari à priori. Confirmatur. Nam Deus clarè visus ut actu existens, qualiter videtur per visionem, non potest moueri intellectum videntis, ut iterum cognoscat illum ut existentem: quia impertinetus, & inutilis esset hæc motio, processumque in infinitum arguens similibus motionum. Et licet moueret, hoc genus obiecti non esset demonstratio: quia solùm dicitur demonstrari, quod, cum vi prioris cognitionis esset ignotum, per posteriorem natam ex priore innotescit.

102 Secunda pars propositionis ex dictis quæst. 5. proposit. 5. probanda venit. Si enim, ut ibi sta-

tuimus, qui Deum per speciem propriam quiditatiuè, & clarè conciperet, non posset non deprehendere connexionem, quam ille habet cum suâ existentia actuali; ex terminisque subinde apprehensis iudicare immediatè posset, ipsum existere: consequens est, ut posset etiam, ex existentia Dei prius iudicatâ prout sic cum existentia suâ connexâ inferre demonstratiuè, ipsum existere. Quandoquidem, quoties ex quavis essentia apprehensa aliqua prima passio eius est immediatè iudicabilis vi connexionis deprehense essentia cum passione, de eadem essentia, connexionem iudicatâ eadem passio inferibilis per discursum, atque ita demonstrabilis est, Qui enim sic iudicat, *Totum est maius suâ parte*; sic etiam poterit inferre, *Est totum. Ergo maius suâ parte.*

103 Verùm contra hanc secundam partem propositionis ita obijci potest, Eatenus solùm dicitur demonstrari posse à priori existentia Dei vi prædictæ cognitionis quiditatiuæ eius, quatenus per illam clarissimè sciretur, quid est Deus ex suo conceptu obiectiuo, atque adeò, esse eum ex tali conceptu omnino necessariò connexum cum suâ existentia actuali. Sed hoc ipsum, etsi per alienas species, possumus nos euidentissimè pro libito scire de Deo hoc ipso, quòd pro libito possumus Deum apprehendere ut necessariò omnino connexum cum suâ existentia actuali, talique suppositâ apprehensione, euidentissimè iudicare, esse eum talem ex suo conceptu obiectiuo. Ergo à nobis quoque est demonstrabilis à priori existentia Dei. At hoc est falsum, ut patet ex proposit. 1. Ergo & illud, ex quo sequitur falsum, est. Et confirmari potest. Quia quantumuis nos euidenter iudicare possimus, ut verè possumus, de ente apprehenso ut existente, esse illud necessariò connexum cum existentia, aut etiam actu existens ex suo conceptu obiectiuo; nequaquam per tale iudicium induci possumus ad inferendum, tale ens esse existens reuerà in statu existentiali, ut constat ex doctrinâ statuta quæst. 5. Ergo neque cognoscens Deum quiditatiuè per propriam speciem posset induci ad inferendum, eum existere in statu existentiali reuerà, quantumuis euidenter iudicaret, esse ipsum necessariò cum existentia connexum, aut etiam existens ex suo conceptu obiectiuo. Quod enim huiusmodi iudicium per proprias, aut per alienas species habeatur, dummodò per utrasque fiat euidentis, nihil ad rem videtur referre. Nec magis in vno, quam in altero casu ab statu quiditatiuò, seu obiectiuo ad existentialem videtur aditus patere.

104 Respondeo consentaneè ad doctrinam traditam dictâ quæst. 5. proposit. 4. qui cognosceret Deum quiditatiuè, & clarè per propriam speciem, ita iudicaturum, esse eum cum existentia connexum, aut essentialiter existens ex suo conceptu obiectiuo, ut iudicaret etiam, esse eum reuerà, & absolutè possibilem, id est talem, ut si existat, sine contradictione existet: eiusmodi quippe cognitione planè perspiceretur, entitatem diuinam ab omni prorsus contradictione immunem vnde quaque esse. De ente autem ex vnâ parte necessario, siue essentialiter existente ex conceptu suo, ex aliâ autem reuerà, & absolutè possibili, ut talique iudicato euidenter, euidenter est iudicabile, quòd existit in statu absolutè reali: quemadmodum de ente euidenter impossibili absolutè, & reuerà euidenter est iudicabile, quòd non existit, ut loco citato dicebamus. Ast nos

pro statu presenti, quantumvis concipiamus Deum cum existentia connexum, aut essentialiter existentem, de eoque ut sic cum euentia iudicemus, esse talem ex suo conceptu obiectiuo. An vero ille ab omni latere ita sit à contradictione exemptus, ut si existat, sine contradictione existet, prout requiritur, ut sit ens absolute possibile, ut talis cognitionis, utpote ex suo genere præcisua, scire non possumus; atque adeo nec iudicare possumus, an ille, uti nobis apparet, à parte rei absolute existat, an secus. Ex quo ad argumentum factum, ad eiusque confirmationem patet solutio.

105 *Aliter tamen contra eandem partem obijci potest. Qui per propriam speciem quiditativè iudicaret, quid est Deus, non posset non eodem actu iudicare, esse eum actu existentem à parte rei; quandoquidem æquè est de essentia physica Dei, esse à parte rei existentem, ac esse sapientem, bonum, omnipotentem, &c. Igitur respectu habentis tale iudicium nullatenus est demonstrabilis à priori existentia Dei; sicut neque est respectu habentis visionem beatam: quia per existentiam prius cognitam ipsa existentia demonstrari non posset, ut arguebamus pro primâ propositionis parte. Hoc argumentum tacitè impugnat possibilitatem cognitionis quiditativæ Dei, & non intuitivæ, sed præscindentis ab existentia absolute eius, quam modò ponimus esse possibilem, id latius probaturi infra Tract. 8. de visione. Interim tamen respondeo ad illud vno verbo, per eiusmodi cognitionem necessario fore iudicandum Deum existentem ex suo conceptu obiectiuo: quo etiam pacto iudicaretur omnipotens, sapiens, & bonus; secus existentem in statu existentiâ: ab existentia enim Dei prout in tali statu præscinderet talis cognitio; atque adeo ad illam ut sic alio iudicio iudicandam, discursu interueniente, posset inducere.*

#### Propositio 3.

106 *Hæc propositio Deus est quodam genere demonstrationis à priori erit etiam demonstrabilis respectu nostri prout cognoscentium per species alienas, si fiat per illas nobis reuelatio evidens alicuius veritatis conditionate.*

*Veritas conditionata potest esse hæc, aut alia similis, Si Deus est existens ex suo conceptu obiectiuo, Deus existit à parte rei. In quâ licet conditio, quæ est existentia Dei prout in statu obiectiuo, siue quiditativè connexa reuera sit cum conditionato, quæ est existentia Dei prout in statu existentiâ absolute; occulta tamen nobis est pro statu presenti talis connexio; atque adeo huiusmodi conditionate propositioni ex terminis assentire non possumus citra reuelationem, ut constat ex doctrinâ traditâ quæst. 5. proposit. 3. & 4. Poterimus tamen, & euidenter, si nobis eius reuelatio evidens fiat. Supponendum est autem, quod apud omnes est in confesso, ex veritate conditionate, & purificatione conditionis euidenter inferri veritatem absolutam, in quam transit conditionata. Hæc namque illatio evidens est Si Petrus currit, mouetur, At Petrus currit, Ergo mouetur. Pariterque consimiles.*

107 *Hinc planè se dat propositionis nostræ probatio. Quandoquidem ijs ita positis, illa propo-*

*sitio Deus est, seu Deus existit à parte rei maior festè sic demonstratur à priori, si Deus est existens ex suo conceptu obiectiuo, Deus existit à parte rei. At Deus est existens ex suo conceptu obiectiuo. Ergo Deus existit à parte rei. Maior huius syllogismi supponitur evidens ex diuina reuelatione. Minor ex terminis est evidens: quia supposito, quòd Deus apprehendatur ut existens, evidens est esse eum existentem ex suo conceptu obiectiuo: nemo autem est, cui non sit integrum illam ita apprehendere, ut ex dictis in hac, & præced. quæst. satis est notum. Illatio etiam evidens est iuxta doctrinam nuper statutam. Ergo conclusio est demonstrata. Quod autem demonstratio sit ex genere earum, quæ demonstrationes à priori dici debent, probatur clarè: quia ex vna parte terminibus, per quos monstratur conclusio, spectari secundum se nullo modò sunt posteriores terminibus conclusionis, cum sint iidem: ex alia vero, quæ ratione conferunt ad demonstrationem, veritates constituunt priores ratione veritate demonstrandâ: maior enim syllogismi facti pertinet ad statum conditionatum, minor ad statum quiditativum, seu obiectiuum, qui ambo, utpote vniuersaliores, priores sunt statu existentiâ absolute, ad quem conclusio pertinet, prioritate independentiæ non mutua iuxta doctrinam de prioritatibus traditam in Pharo Scient. disput. 15. Iure igitur huiusmodi demonstratio dicitur à priori. Neque enim à posteriori dici potest, neque à simultaneo propter dicta. Aliud autem genus demonstrationis, præterquam à priori, non superest.*

#### Propositio 4.

108 *Hæc propositio Deus est à posteriori est demonstrabilis respectu nostri secundum modum naturalem, quem habemus intelligendi.*

*Hæc est communis Theologorum, adeoque certa, ut oppositam multi damnent varijs censuris. S. Tho. cap. illo 12. ex lib. 1. contra Gent. eam appellat errorem. Valent. supra pun. 2. dicit, meritò illam existimari erroneam. Soar. cap. illo 1. ex lib. 1. de Attrib. num. 13. valde consentaneam fidei dicit esse propositionem nostram, & eam negare temerarium esse, & errori proximum. Vazq. supra num. 7. oppositam ait meritò temerariam censi. Recupitius illam censet erroneam. Quas censuras alij præterea comprobant ex præcitis Doctores pro tertiâ sententiâ num. 96. Theodor. tamen Smisin. tract. 1. de Deo vno. disp. 1. quæst. 4. num. 61. ab omni censurâ theologica vindicat sententiam nostram propositioni oppositam; etsi addat, esse eam temerariam in Philosophiâ; ex Scriptura enim, & Patribus tantum haberi, cum certitudine morali esse Deum à nobis cognoscibilem. Quod etiam docet Pasquali. supra sect. 4.*

109 *Probatur autem imprimis testimonijs Scripturæ. Sap. enim 13. inter alia, quæ satis ad rem proferuntur, sic dicitur. A magnitudine enim speciei, & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri. & ad Rom. 1. Quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas, ita, ut sint inexcusabiles. Facit etiam illud Psal. 18. Cali*

*Celi enarrant gloriam Dei, &c.* Et illud Agor. 14. Non sine testimonio semetipsum reliquit beneficiens de Cælo, dans pluias, &c. Quanquam enim Vazq. supra num. 8. Gillius cap. 5. num. 5. & alij arbitrentur, per hæc testimonia non probari positum; Scripturam enim solum contendere his in locis, esse Deum ab hominibus naturaliter cognoscibilem per creaturas: vtrum verò notitiâ euidente, vel solum probabili, non curare. Melius tamen Soar. lib. illo 1. de Attrib. cap. 1. num. 15. Fasol. dubit. 2. num. 8. Gran. sect. 1. Tan. Arriag. & alij communiter docent, Scripturam de notitiâ euidente, ac demonstratiuâ tractare. Id enim præ se ferunt illa verba, toties ingeminata. *Cognoscibiliter videri; notum est; manifestum est; manifestauit illis; intellecta conspiciuntur, &c.* Quæ quidem, quando materia non obstat, sed potius iuuat, vt in præsentia, cum omni suâ proprietate sunt omnino accipienda; secundum quam planè significant notitiâ euidente. Tamen alijs in locis pro notitiâ solum probabili vsurpentur in Scripturâ; coarctatâ scilicet, siue translata ratione materiæ propriâ significatione eorum ad minis propriam.

110 Consentiant communiter Patres. Hieron. enim ad illud Pauli *intellecta conspiciuntur* addit. *Tam euidenter intellecta sunt, vt conspecta dicantur.* August. tract. 2. in Ioan. ait; *Deus potest inueniri per creaturam euidenter, dicente Apostolo, inuisibilia enim ipsius, &c.* similia habet lib. 10. Confess. cap. 6. & lib. Solil. cap. 31. S. Maxim. cent. 3. cap. 8. *Conspicua, inquit, creatura clarâ prabet notitiâ, quod sit Conditor; at non quelis sit.* Dionys. cap. 7. de diuin. nomin. ait. *Per scientiam Deus cognoscitur.* In eadem sententiâ sunt Tertull. lib. 1. aduers. Marcion. cap. 11. Basil. orat. de Verb. incarn. Nifen. disput. de anim. & resurrect. Damasc. lib. 1. de fide cap. 1. Iustin. ad quæstionem 6. Gentil. Athan. orat. contra idola. Cyprian. de Idolorum vanitate. Beda serm. in Psal. 52. Ambros. in cap. 1. ad Roman. Et alij passim. Item, qui à naturâ dicunt, esse instam notitiâ Dei, quorum testimonia aliqua dedimus supra quæst. 2. Necnon Nazianz. orat. 24. quæ est 2. de Theologiâ citatus à Vazq. pro se; quasi fenserit coniecturâ solum colligi per creaturas, esse Deum: cum tamen alia versio conformior textui græco, quàm ea, qua vitur Vazq. pro illis verbis *coniecturâ colligit* habeat *ratioinando concludit.* Esse autem huiusmodi ratiocinationem demonstratiuam iuxta mentem Gregorij, verba sequentia eius satis declarant. Præmissâ enim similitudine de cognoscente euidenter artificem, & citharædum, visâ citharâ, & audito eius concentu, subiungit. *Sic & nobis non potest non esse manifestum id, quod & condidit vniuersa, & condita mouet, & conseruat. Adeoque prorsus bebetis esse hominem iudicij necesse est, qui non sponte suâ, naturaliumque demonstratiuum vestigijs inherens eo progrediatur.*

111 Accedunt insuper Ethnici attestantes. Aristot. enim multis in locis conatur demonstrare, esse Deum. Et in lib. de Mundo ad Alexand. ait. *Cum Deus vniuersæ mortalis naturæ minis cernatur, ex ipsius nimirum operibus satis perspicitur.* Clarius ad rem Tull. lib. 2. de natura Deorum paulò post principium ita loquitur. *Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quàm aliquod esse Nomen præstantissimæ mentis, qua hac regantur? Et lib. 2. de diuinat. circa finem. Esse, inquit, præstantem aliquam, æternamque naturam,*

*& eam suspiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo Mundi, ordoque rerum cælestium cogit consiteri. Similia habent alij.*

Ratione etiam probari potest propositio. 112  
Primò; quia quoties existentia effectus euidens est, conuexioque eius necessaria cum causâ manifestè apparet, tunc causæ existentia per effectum à posteriori est demonstrabilis. Sed existentia creaturarum euidētissima est, vt patet; conuexio etiam necessaria earum cum Deo manifestè se prodit, vt ex dicendis quæst. seq. compertum fiet. Igitur existentia Dei per creaturas à posteriori est demonstrabilis.

113 Secundò; quia, cum Deus sit naturalis finis creaturarum rationalium, prout latè explicant, & probant Theologi ad 1. 2. S. Tho. necessarium profectò fuit, vt via manifesta pateret hisce creaturis, qua rectâ, & citra erroris periculum in finem suum tendere possent; qualis est solum notitiâ euidens talis finis proprijs ipsarum virtibus acquirenda. Neque enim nobilissimis creaturis negandum erat, quod ignobilioribus datum est, vt suum vnaquæque finem certâ viâ consequi valeat.

114 Tertiò; quia supremo Numini naturaliter debetur cultus à creaturis rationalibus exhibendus. Ergo naturaliter quoque debetur illi esse præuentæ tali lumine, quo citra errorem possent cognoscere, eiuam humilissimò cultum, ad quem etiam à naturâ nascuntur inclinatæ, delatæ erant; cuiusmodi dumtaxat est lumen rationis compos ingerete notitiâ clarâ, & euidentem ipsius Numinis.

115 Sed obijciunt contra nostram propositionem primò. Deum esse, est articulus fidei ex necessitate credendus. Ergo, Deum esse, non est veritas demonstrabilis. Nego consequentiam interim; dum totam huius argumenti materiam tracto ex professo quæst. 9.

116 Secundò obijci possunt Patres sæpe docentes, non posse hominem sine speciali adiutorio Dei, aut sine diuinâ illustratione ipsius Dei cognitionem conscendere. Quo videntur significare solo lumine naturali absque ope luminis fidei non posse nostrum intellectum notitiâ Dei assequi. Ita August. lib. 2. de ciuit. cap. 7. & lib. 15. cap. 6. Serm. 55. de verbis Apost. epist. 11 2. & de Prædest. Sanctorum, sæpeque alibi. Prosp. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 17. Damasc. lib. 1. fidei cap. 2. & alij. Facit etiam Concil. Araus. 2. Can. 22. dicens, *Hominem nihil habere de suo, nisi mendacium, & peccatum: nempe, in his, quæ ad salutem pertinent vt cap. 7. se exponit.* In quibus primum est cognoscere de Deo quia est secundum Apostolum ad Hæbr. 11. Respondeo Patres eo loquendi genere tantum intendere; aut homines facilius, certius, securiusque, & vberius per fidem, quàm solâ naturali ratione venire in notitiâ eorum, quæ naturaliter de Deo cognoscibilia sunt; aut certe lumen naturale sine adiutorio gratiæ per Christum non posse quidpiam de Deo assequi, prout oportet ad salutem, & vitam æternam; id quod Concilium intendit Araus; prout susius edisseritur in Tract. de grat. Per hæc tamen non tollitur, intellectum humanum virtute natuâ, quam habet, demonstratiuè posse cognoscere, Deum esse.

117 Tertiò obijciunt. Creaturæ sunt quid contingens. Ergo ex creaturis Deus non potest demonstrari: quia demonstratio iuxta Arist. lib. 1. Post. cap. 5. text. 15. & seqq. ex necessarijs debet proce-

procedere. Scot. in 1. distinct. 2. quæst. 2. §. Ad secundam instantiam. Mayron. quæst. 3. in fine, & Gillius lib. 1. tract. 8. cap. 5. num. 11. cum alijs respondent, demonstrationem de Deo à posteriori non procedere ex creaturis prout factis, quomodo sunt contingentes, sed prout factibilibus, qua ratione sunt necessaria. Sed male: quia, esse creaturas factibiles per se præcisè ex solis terminis apprehensis, non est respectu nostri noscibile, sed tantum demonstrabile ex eo, quod facta cernuntur. Ergo demonstratio de Deo non potest non tandem resolui, vt in principium primum, in creaturas prout factas; quo pacto contingentes sunt, & redit argumentum. Ad illud ergo est respondendum, ad necessitatem demonstrationis facta esse, quod principia necessariò sint connexa cum conclusione, & aliàs in se euidenter sint vera, atque adeò etiam necessaria ex suppositione; etsi absolute sint contingentia; ita enim fiet, vt conclusio aliter se habere non possit, suppositis principijs, quod sufficit ad scientiam. Nec amplius putandum est, requirere Arist. loco citato ad demonstrationem in vniuersum. Recole, quæ latius ad hanc rem scripsimus in Pharo Scient. disput. 20. quæst. 11. Ex quibus patet, quomodo Deus ex creaturis, etsi absolute contingentibus, optimè demonstrari possit.

118 Quartò obijcitur. Creaturæ non inferunt Deum, nisi prout dependentes ab illo, siue cum eo connexæ. Ergo antequàm concludatur, Deum esse, debent creaturæ præcognosci dependentes à Deo. Ergo Deum esse in principio demonstrationis debet itidem præcognosci; quia impossibile est, cognoscere aliquid dependens à Deo, & non cognoscere, esse Deum. Ergo, Deum esse, omnino est indemonstrabile per creaturas; quia omnis demonstratio eò tendit, vt notificet in conclusione, quod erat ignotum in præmissis.

119 Respondet Fasol. dubit. 3. n. 17. [Demonstrationem existentie Dei non procedere ex creaturis dependentibus à Deo determinatè; in quo sensu, inquit, vim habet argumentum; sed solum ex creaturis dependentibus ab aliqua primà causà, in quo principio non habemus cognitionem Dei distinctè, & determinatè, sed solum indeterminate, & in confuso. Vnde deinde concludimus in conclusione cognitionem Dei determinatè, & in particulari]. Verba sunt eius. Sed verò tam argumentum, quàm responsio ex non bene penetratà naturà discursus humani videntur promanasse. Imprimis enim, demonstrari ex creaturis, Deum esse, apud Theologos nihil est aliud, quàm demonstrari, esse aliquam primam causam earum; hanc enim in proposito vocant Deum. Si ergo conceptus primæ causæ non demonstratur secundum Fasol. quia præcognoscitur in principio, nec demonstratur, esse Deum in sensu Theologorum. Deinde conceptus primæ causæ vt sic non est demonstrabilis per te; quia ex parte antecedentis demonstrationis præciri debet; debet autem ita præciri; quia creaturæ, quæ pro antecedente assumuntur, præcognosci debent vt dependentes à causà primà vt sic, siue (quod in idem recidit) vt connexæ cum illà; & connexio, siue respectus dependentiæ sine suo termino cognosci nequit. Igitur neque Deus sumptus, vt ais, determinatè, & in particulari, neque aliud quidpiam in vniuersum demonstrabile est, aut per discursum inferibile; quia semper antecedens

debet præcognosci vt connexum cum consequente. Quo prorsus tollitur è medio discursus humanus.

Dicendum ergo est, omne antecedens obiectiuum, ex quo consequens obiectiuum est inferendum, præcognoscendum esse vt connexum cum ipso consequente, atque ita duo ex parte antecedentis esse indicanda; nempe & esse antecedens, quod expressè, & formaliter iudicatur; & illud esse connexum cum consequente, quod solet virtualiter, siue tacitè iudicari. Consequens verò, cum quo antecedens iudicatur connexum non debet iudicari in antecedente, etsi debeat apprehendi simpliciter vt terminus dictæ connexionis. Quo locus superest, vt postmodum iudicetur per conclusionem, sciaturque, cum antea non sciretur; nam apprehensio simplex scientiæ non est. Ecce, quæ ratione discurremus, prout fusiùs explicui in Pharo, disp. 2. quæst. 5. & rursus disp. 20. Ex quibus ad propositum aio, cum Deus ex creaturis demonstratur, siue vt causa earum prima, siue aliter, iudicari quidem ex parte antecedentis demonstrationis & creaturas existere, & eas cum Deo existente connecti, siue ab illo pendere; ad hoc tamen sufficere, quod Deus existens apprehendatur simpliciter ex parte ipsius antecedentis indicandus postmodum existens, vt sicque primò cognoscendus simpliciter, siue sciendus per iudicium respondens conclusioni, Mitto alia leuiora. quæ ex dictis facile solui poterunt, aut ex dicendis

## QVÆSTIO VII.

*Quibus rationibus demonstretur, Deum esse.*

121 Plures rationes plerumque in medium protulerunt ad demonstrandum, esse Deum, contra Atheistas. Hi sunt ex Ethnicis Plato in Parmenid. & Timæo. Arist. lib. 7. & 8. Physic. & lib. 2. Metaph. a tex. 4. & lib. 9. & 12. Metaph. Cicero lib. 2. de naturâ Deorum cum Crisippo, Cleanthe, Zenone, cæterisque Stoicis, & alij. Ex Patribus Clemens Alex. orat. ad Gent. Tertul. in apolog. contra Gent. cap. 17. Dionys. cap. 7. de diuin. nomin. Lactan. lib. 1. diuin. institut. Athanas. orat. contra idolâ ad Mercarium, Nyssen. disp. de resurrect. & anim. August. tum aliàs, tum lib. 8. de ciuit. Dei cap. 6. Damasc. lib. 1. fidei cap. 3. Anselm. in Monol. cap. 1. & seqq. Ricard. victor lib. 1. de Trin. par. 1. & alij. Ex Scholasticis Albert. in sum. tract. 3. quæst. 18. Alens. 1. p. quæst. 3. mem. 1. Hent. in sum. art. 2. quæst. 4. Scot. in 1. dist. 2. quæst. 2. S. Th. in 1. dist. 8. quæst. 1. art. 1. & lib. 1. contra Gent. cap. 13. & opusc. 3. cap. 3. & de verit. quæst. 1. art. 4. & 7. & de potentia quæst. 7. art. 2. & 7. & 1. p. quæst. 2. art. 3. vbi eius expositores Caiet. Banez, Zumel, Molin. Valent. Vazq. disp. 20. cap. 4. Fasol. dubit. 1. & seqq. Gillius lib. 1. tract. 8. cap. 7. Tan. disp. 2. quæst. 1. dub. 4. Gran. controu. 1. tract. 1. disp. 2. Arriag. disp. 3. sec. 4. Martinon. disp. 2. sec. 3. & seqq. Franc. Amic. disp. 2. sec. vnic. Pascualig. tom. 1. disp. 7. sec. 5. Præposit. quæst. 2. art. 3. Auers. quæst. 2. sec. 1. Recupit. lib. 1. de Deo quæst. 10. & seqq. Quittos 1. p. disp. 13. & alij plurimi. Quibus adde Soar.

Soar. in Metaph. disp. 29. Eugubinum de perenn. Philosoph. Lessium opusc. de providen. Dei contra Pseudopoliticos Raynau. in sua Theologia naturali dist. 5. quæst. 1. Theodorum, Smising. tract. 1. de Deo vno disp. 1. quæst. 6. & alios.

122 S. Th. in citato loco ex 1. p. ad quinque capita, quæ vias ipse appellat, reducit rationes, quibus probari potest, Deum esse. Quò fere spectant omnes, quas reliqui attingunt. Ego selectiores primùm, & quæ iure demonstrationes censerì possint, exhibebo. Deinde de reliquis, quæ circumferuntur, aut etiam addi possunt, iudicium feram. Ante omnia verò, vt magis scientificè procedatur in re demonstrabili, principia quædam, quibus egemus, ex alijs materijs operæ prærium erit statuere.

123 Sit primum. Aliquod ens se ipsum facere sibi ipsi per effectiorem dare esse, impossibile est. Secundum. Quod aliqua duo, vel plura se mutuo efficiant, siue producant physicè secundum idem sui esse, impossibile est. Tertium. Quidquid deuo incipit existere, ab alio fiat necesse est. Hæc tria principia & ex se manifesta, & à nobis latius exposita, atque confirmata sunt in Pharo scient. disp. 9. quæst. 5. proposit. 22. 26. & 29.

124 Quartum est. Progressio rerum infinita secundum seriem causalitatis, ita vt vna fiat ab alià & hæc ab alià, & hæc ab alià, & ita deinceps sine fine, seu potius sine principio; idque siue in eadem mensurâ temporis, siue in diuersis; omnino impossibilis est. Voco hoc principium quia multi illud assumunt vt per se notum. Videtur enim ex terminis euidentibus, non posse quidpiam habere esse deriuatum per infinitam causarum efficientium seriem sine principio. Sicut in scientijs ex terminis euidentibus est, non posse quidpiam fieri per aliud scitum per aliud scitum per aliud, &c. nisi tandem deueniatur ad aliquid scitum per se. Et sicut in causis materialibus, seu subiectiuis, etiam est euidentibus, infinitam progressionem dari non posse, ita, vt hæc in aliâ subiectetur, & hæc in aliâ, & hæc in aliâ, & sic in infinitum; quin detur aliqua, quæ sit cæterarum primùm subiectum. Demonstro tamen nihilominus illud discursu sequente.

125 Si est possibile, vt vna res fiat ab aliâ, & hæc ab aliâ, & ita deinceps sine principio, idque siue in eadem temporis mensurâ, siue in diuersis; demus factum: euenietque, vt in præsentè instanti, siue vsque ad præsens instans infinita rerum multitudo eâ ratione se causantium sit facta, vt constat. Tum sic. Tota hæc infinita rerum collectio cum omnibus partibus suis, nullâ dempta, quoad primum sui esse facta est. Non ab alio, quod extra ipsam sit, vt supponimus. Ergo facta est à se ipsâ, vel ab aliquo ipsam constituyente. A se ipsâ facta esse non potest: quia nihil potest se ipsum facere, iuxta principium primum. Sed neque ab aliquo ipsam constituyente: quia hoc vel erit factum à se ipso contra idem principium, vel erit factum ab aliquo factò à se ipso; idque quoad primum vtriusque esse. Quod est itidem impossibile iuxta principium secundum. Est igitur tota dicta collectio facta, vt supponitur, & simul non facta: quia nihil est, à quo possit esse facta. Quæ sunt contradictoria. Totus discursus satis, superque euidentibus est.

126 Vel aliter. Essentia composita, cuius omnes partes sunt factæ, nequaquam potest intra

se ipsam habere causam sui effectiuam; quin egeat aliquâ causâ effectiuâ extra se ipsam existente, vt in Pharo disp. 9. quæst. 5. proposit. 39. est demonstratum. Sed essentia collectionis rerum prædicta composita est; & omnes eius partes sunt factæ, vt supponitur. Ergo intra se ipsam causam factiuam sui habere non potest; quin egeat aliquâ causâ effectiuâ extra se ipsam existente. At hanc non habere supponitur. Igitur est essentia chymerica.

127 Dicit aliquis, fore quidem, vt hæc argumenta conuincerent, si sermo esset de collectione finitarum rerum: cum verò sit de collectione infinitarum, ea profecto non concludere. Etenim euidentissimum est, aggregatum rerum finitarum, quarum singulæ sunt productæ, non posse à se ipso sine causâ externâ esse productum; quin vel detur mutua partium causalitas, vel idem producat se ipsum quoad primum esse. Ponamus enim quaternarium rerum factarum, & non ab aliquo extra se. Certè quocumque modo combinentur quoad sui productionem, aut mutua causalitas, aut productio eiusdem à se, aut vtrumque non excusabitur, vt percurrenti combinationes omnes possibiles conspicuum fiet. Illud est aduertendum; quoties singulæ earum rerum singulas in solidum supponuntur producere, perfectè tunc absolui circulum mutuarum causalitatum: si enim prima producit secundam, secunda tertiam, & tertia quartam, à quartâ producet prima, quo manet circulus absolutus. Vnde manifestè consequitur, quoties in aliquo aggregato rerum finito vnaquæque earum sit ab alterâ, non posse non dari circulum mutuarum causalitatum. Cæterum, quando aggregatum est infinitum, longè aliter videntur cuncta succedere. Primò: quia seriem infinitam in circulum conformari, impossibile est; cum circulus ex suo conceptu sit series finita; vnde in serie infinita rerum, quarum vnaquæque sit ab alterâ, non est necesse, quòd mutua causalitas interueniat. Secundò; quia non est necesse, vt integræ collectioni infinitæ conueniat, quidquid conuenit omnibus, & singulis eius partibus distributiue sumptis, e. g. in collectione partium temporis infinita à parte post, nulla est omnino pars, vltra quam alia non sit futura: cum tamen vltra integram collectionem nihil temporis futurum restet: quia non est vltra. Similiter nulla pars est, cui non sit possibile præterire, imò quæ de facto præteritura non sit: cum tamen toti collectioni omnino id repugnet. Aliàs tempus infinitum finiretur. Quod implicat in ipsis terminis contradictionem. Igitur possibile est in serie infinita causarum, de qua tractamus, vt vnaquæque, nullâ dempta, ab alterâ sit facta, quin tota collectio facta sit. Quo conuere videntur facta argumenta. Si enim tota collectio non est facta, etsi omnes eius partes distributiue acceptæ sint factæ, necunde videtur posse argui aut mutua causalitas, aut quod sit idem factum à se.

128 Obiectio hæc specie tenus robur factæ demonstrationis videtur infringere. Sed non est ita. Incipio à posteriori eius parte. Vtque eam manifestè retundam, noto. Licet sit verum, non eo ipso conuenire quidlibet integræ collectioni, quòd omnibus partibus eius distributiue acceptis conuenit: eo quòd collectio à singulis suis partibus eius distributiue acceptis distincta est; atque ita possunt partes habere aliqua prædicata propria, quæ non sint communis collectioni, & vice

vico versâ. At etiam est verum, aliqua alia prædicata esse, de quibus vel propter suam transcendentiam, vel ob peculiarem naturam evidens est, nequaquam posse dici verè de omnibus cuiusvis collectionis partibus distributiue sumptis; quin verè itidem dicantur de totâ collectione. Exemplo sint prædicata existentia, non existentia, impossibilitatis, potentia ad non existendum, & similia. Evidens enim est, si omnes, & singula partes alicuius collectionis existant, non posse non totam ipsam collectionem existere; tum si deficiant, non posse non deficere; si sint impossibiles, esse impossibilem, &c. Oportet tamen, ut hoc teneat, quod huiusmodi prædicata de singulis collectionis partibus verificentur absolute, & non excludendo aliarum consortium; alioquin poterunt convenire partibus omnibus, quin toti collectioni diuisim simul, & indiuisim sumptæ; vti sumi potest, & sæpe sumitur, conveniant. Ponamus enim singulas partes huius collectionis A B C ita posse deficere, ut nulla deficere possit, nisi aliqua residuarum permanente. Tunc erit de singulis verum, deficere posse; & tamen tota collectio non ita poterit deficere, ut nihil permaneat illius. Quo pacto multa prædicata singulis partibus collectionis infinitæ distributiue sumptis sæpe conveniunt; quin, toti collectioni diuisim simul, atque indiuisim sumptæ conveniant. Ob id namque in exemplo opposito, etsi singula partes temporis futuri infiniti præteriri possint, de factoque sint præteritura; integra tamen collectio earum diuisim simul, atque indiuisim accepta nec præteribit, nec præterire potest, ita, ut nihil illius restet, quod non sit præteritum; quia ita singula partes præteriturae sunt, ut nulla possit præterire, nisi restantibus post ipsam alijs infinitis non præteritis. De quo plura dicenda infra suo loco; vbi sermo sit de infinito.

130 Hæc cum ita sint, dico, prædicatum entis ab alio, seu entis facti ab alio ex eorum genere esse, de quibus evidens est, non posse convenire absolute singulis partibus collectionis, quin, toti etiam collectioni conveniat. Sicut enim evidenter repugnat, existere omnes partes collectionis, & collectionem non existere; ita evidenter repugnat, accipere eas existentiam ab alio, & collectionem non accipere. Quomodo enim evidenter repugnat, quod aliqua causa det existentiam omnibus partibus collectionis, easve in rerum naturâ ponat; quin toti collectioni det existentiam, ipsamve pariter ponat in rerum naturâ. Cum igitur omnibus, & singulis partibus collectionis infinitæ causarum, de qua tractantur, conveniant factas esse, ut supponimus, idque absolute; nullarumque excludendo consortium; siue illæ in eadem temporis mensura, siue in diversis, & infinitis factæ dicantur; evidens est, non posse non collectionem integram factam esse tam indiuisim, quam diuisim acceptam; sicut evidens est, non posse non esse præteritam collectionem infinitam totius temporis præteriti hoc ipso, quod singula partes eius absolute; & nullarum excludendo consortium, præteritae sunt.

130 Et quidem quoties omnes, & singula partes essentia compositæ, (qualis est dicta collectio), sunt factæ, non posse non ipsam essentiam esse factam, in Phælo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 37. demonstratum est. Semel autem staturo, quod tota dicta collectio sit facta, & non ab aliquo, quod extra ipsam sit, ut suppo-

nitur, firma demonstratio nostra persistit, repulsâ posteriore parte obiectionis propositæ. (Id quod etiam ex propos. 39. ibidem demonstrata constat). Unde etiam patet ad priorem, seriem infinitam causarum, de qua agimus, eo ipso, quod talis, ut ponitur, sit, non posse non esse, chimericam; quia ex vna parte titulo infinitudinis causalitatum non mutuarum, quam ponitur habere, mutuarum circulum non admittit; ex aliâ verò hoc ipso, quod tota collectio ipsarum causarum facta est, & non ab aliquo, quod extra ipsam sit, neutiquam potest talem circulum non subire, ut argumenta facta conuincunt. Manet igitur demonstratum, progressionem infinitam secundum seriem causalitatis omnino impossibilem esse.

Id quod aliter ostendi potest: quia si daretur infinita progressio causarum, & causalitatum absque vllâ, quæ esset prima, eo ipso daretur causa prima. Quod est manifestum absurdum. Data enim eiusmodi progressionem, non posset non vltimus effectus accipere suum esse, tum immediate per immediatam sibi actionem, tum etiam mediate per omnes actiones sibi mediatas tam collectiue, quam diuisiue sumptas, ut patet: siquidem virtus, à qua oriretur talis effectus, nequirit non per omnes omnino eiusmodi actiones ad ipsum vsque deriuari, ut est notissimum. Ergo per tales omnes actiones talis effectus ab aliquo acciperet suum esse, ut constat. Sed non acciperet ab aliqua causâ intermedia dictæ progressionis: quia actiones ipsam præcedentes non fluere ab ipsâ; neque à collectione omnium causarum: quia hæc ad collectionem omnium actionum non præsupponeretur, prout opus erat; cum integrè esset facta per illam. Ergo acciperet ab aliqua causâ non factâ à qua suam tales actiones, & causæ factæ originem traherent. Daretur ergo causa prima. Quod erat probandum. Adde, collectionem prædictarum actionum, & fore priorem collectione causarum; siquidem hæc per illam haberet esse; & non fore priorem, sed posteriorem: cum ab eadem collectione causarum oriretur physice. Quod, patet, esse absurdum.

Aliter id ipsum potest ostendi. Quia si ponamus vltimum prædictæ progressionis effectum ens quoddam album esse, penultimum autem ens nigrum, antepenultimum album, & ita alternatiue deinceps. Comperit erit, nullum esse in totâ infinita progressionem ens album, quod non fuerit immediate factum ab ente nigro; & nullum esse ens nigrum, quod immediate non fuerit factum ab ente albo. Ergo collectio entium alborum integrè sumpta à collectione nigrorum facta erit; vicissimque collectio nigrorum à collectione alborum. Quod est absurdum: quia huiusmodi mutua causalitas evidenter est impossibilis, ut constat ex dictis. Mitto alias impugnationes progressionis infinitæ causarum minis solidas, ut pote quæ contra omnem aliorum entium progressum infinitum possibilem pariter militent. De quibus infra est agendum suo loco.

133 Quintum principium, Collectio rerum circulariter se se efficientium secundum existentias diuersas, ita, ut nulla earum non sit facta ab aliâ, quam ipsa in alio tempore fecerit proximè, vel remotè, omnino etiam impossibilis est. Constat ex dictis: quia, licet quilibet circulus rerum hoc modo factarum finitus sit, ut omnis circulus esse debet, progressio tamen causatio-

num, repetitarumque existentiarum, atque adeo etiam circularum huiusmodi rerum non potest non esse infinita, & redeunt argumenta facta pro præcedenti principio: quia collectio infinita rerum existentiarum perinde se habet, ac si esset infinitarum rerum. Illa namque non potest non esse facta ab aliqua parte sui, quæ proinde à se ipsa aut immediatè, aut remotè secundum idem sui esse facta erit, contra primum, & secundum principium. Quod autem in casu posito progressio repetitarum existentiarum eiusmodi rerum non possit non esse infinita est clarum: nam, quæ accipiunt existentiam in vno tempore, in alio debuerunt præexistere, vt darent existentiam illis, à quibus accipiunt; & hæc in alio antecedente; & sic deinceps retrocedendo sine fine, seu potius sine principio.

134 Procudent autem tam hoc, quam præcedens principium, dato etiam, quod quivis effectus semel productus non egeat conservante, vt perseveret in esse accepto. Si enim egere ponatur, (quod forsitan evidens est), apertius adhuc cuncta constabunt: quia necesse erit, quod actu existentia causa essentialiter subordinata, quarum vna dependeat actu in suo esse ab aliâ, & hæc ab aliâ, & ita deinceps sine principio. Quod clarius apparet repugnare: quia sine aliqua causâ primâ, à qua incipiat series influxus, non potest influxus ipse derivari ad medias, & ultimas, vt argumentatur Arist. lib. 2. Metaph. cap. 2. Porro nullum effectum sine causâ conservante durare posse, inde videtur demonstrari: quia nulla perfectio, quæ non est à se, sine causâ actu dante illi esse potest subsistere. Constat autem perfectionem esse, & non à se, non solum primam effectus existentiam, sed etiam eius durationem.

135 Ex quinque hisce manifestis principijs sic prima, & potissima demonstratio existentie Dei construi potest. Quidquid denuò incipit esse, qualiter multa in hoc Mundo incipere cernimus, ab alio fiat necesse est. Sed impossibile est, quod in ijs, quæ sunt ab alio, aut detur circulus mutuarum causalitatum, siue effectuum, aut procedatur in infinitum. Ergo necesse est, quod sit aliquid ab alio non factum, à quo primo ducant originem ea, quæ sunt. Id autem dicimus esse Deum. Consequentia evidentissima est: quia si in serie eorum, quæ efficiunt aliud, & ab alio efficiuntur, nec datur circulus mutuarum causalitatum, nec abitur in infinitum; compertum est, debere esse tandem aliquid efficiens, quod non fiat ab alio; quodque subinde sit primum, à quo tota series incipiat. Maior ex tertio principio constat. Minor autem ex reliquis quatuor. Quo tota demonstratio præsens perfecta manet, & absoluta.

136 Vel aliter ita illam breui compinge. Aut omnia, & singula, quæ sunt, & fuerunt hætenus in totâ rerum univertitate, sunt facta, aut aliquid, vel aliqua non sunt facta: (pleraque enim facta esse experientia convincit). Primum dici non potest: quia si omnia, & singula, quæ habent, & habuerunt esse, sunt facta, non potest non integra rerum collectio facta esse vel à se ipsa, vel ab aliquo sui se ipsum faciente. Quod est impossibile, vt ostendimus. Debet ergo dici secundum: esse nimirum aliquid in rerum collectione non factum. Quod, nos, esse Deum, nostrum, asserimus. Hæc demonstratione vtuntur Aristot. lib. 2. Metaph. tex. 6. Ansel. supra

cap. 3. S. Tho. supra secunda via, & alij communiter. Per eam autem tantum ostenditur, debere esse aliquod ens à se, à quo alia fiant. Quod tamen illud unicum sit, non plura, inferius demonstrandum est, vbi de unitate Dei sermo fit.

137 Secundam nobis demonstrationem offert mirabile hoc, & planè stupendum totius Univerſi artificium. Quis enim cernat hanc Mundi machinam tam multâ rerum varietate simul, ac coherentia compositam. Quis earum rerum dispositionem, consonantiam, harmoniam, appositissimamque symmetriam animaduertat. Quis denique aptissimam ipsarum proportionem, naturamque destinationem in proprios univertitatis fines, & usus contempletur. Qui mox convictus planè non fateatur, cuncta hæc ab aliqua præstantissima, atque potentissima mente, vigilantissimaque ratione, & suum originem trahere, & tractu quodam providentiæ perenni administrari, ac regi? Nimirum à Deo, Vti discretè, & satis diffusè argumentatur de sententiâ Stoicorum Cicero lib. illo 2. de naturâ Deorum fere per totum. Sulpice cœlos, & contemplare, singularem eximiam eorum pulchritudinem, tot astrorum venustâ numerositate distinctam; immensam propemodum magnitudinem tot motuum æquabili diversitate, permixtateque ineffabili perpetuò rotundam; Solis, ac Lunæ, cæterorumque planetarum decorem in influendo; temporum oriundorum in idem vicissitudinem, irrequietâ semper circulatione alternantem dies, & noctes, menses, & annos; annorum illam, verficolem hyemis, & veris, æstatis, & autumnî quadrigam; idque pro tam diversis, tamque proficuis vsibus Mundi inferioris. Descendens iam, & circumspice elementorum constructionem; quaternâ illâ primarum qualitatum combinatione discretam. Intrare, qua arte nubes ab imo hausæ è sublimi in imbres solvantur terram, vnde prodire, fecundaturâ, Attende, quàm plenâ ingenio adinventionem mixtorum omnium generationes, ac corruptiones sunt dispositæ; quo eorum continua series & semper rediit procederet, & semper non perennaturâ decederet. Dispice denique mixtorum singularibus scaturient elementa; terrestria videlicet, maritima, & volatilia: scrutareque in vnoquoque figuram, compositionem, partium varietatem, & usum, affectiones, facultates, habilitates, industrias, & cætera huiusmodi. Pondera ipsorum innumerabilem multitudinem; & in multitudine ordinationem: perpense diversitatem; & in diversitate analogiam; considera morum discrepantiam; & in discrepantiâ necessitudinem. Compara præterea cuncta inter se, & cum univertâ Mundi structurâ; exploratissimeque compere, manifestissime deprehendes, & clarissime videbis, ni cæcus sis, tam admirandum Opificium non, nisi summâ arte, summo consilio, summâ sapientiâ à summo aliquo Opifice factum esse, & in dies promoueri, atque gubernari. Profecto si quis prologium rotarum (vt cætera artificia præteream) casu, & fortuito, & sine industria solertis alicuius artificis factum esse, pariterque moueri, affirmaret, hunc stultum haud dubiè, & planè amentem haberemus. Et non æquiori iure stultum, & amentem purabimus eum, qui Univertsum hoc sine arte alicuius maximi artificis, atque adeo casu, & fortuito factum esse, & in dies propagari insaniret? Evidentissimum

simum sanè est, artificialia, quæ facit homo, adeo ratione, & arte constare, vt ea non modò à se ipsis, sed ne ab alio quidem rationis, & artis exorte effici possint. Quæ ergo fiet, vt non sit euidentis, à sublimiori aliquo artifice venire, efficienda naturalia, quorum structura ob sublimius artificium, quo pollet, longissimè euehitur supra omnem artem, omnem industriam, omnemque rationem humanam? Si enim (inquit Crisippus apud Ciceron. supra colum. 5.) est aliquid in rerum naturâ, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res celestes, omnesque ea, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, à quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixerim, quàm Deum? Et cum statuam (ait Trimegistus in Pimandro cap. 5) absque fabro, & pectore fieri, nullus asserere audeat, miram huius Mundi constitutionem sine conditore confituisse putabimus? Itaque ex structura, atque gubernatione Vniuersi, cunctarumque rerum naturalium, ex quibus componitur, euidentissimè concluditur, existere summum quemdam Auctorem, atque Gubernatorem eius summâ ratione, summa sapientiâ, summa potentia præditum. Is autem quis est nisi Deus?

138

Accedunt supernaturalia miracula, portentaque, quæ sæpe Mundus ultra omnem naturæ ordinem, virtutem, & facultatem expertus est; clariora adhuc alicuius occultæ diuinitatis indicia. Si enim effectus artium Magicarum, qui omnem humanam, visibilemque potentiam superare cernuntur, eximiam quamdam vim habent, & energiam ad reuocandos ab Atheismo, vbi ille viger; homines perditissimos, vt Vazq. refatur supra cap. 4. quam vim habebunt altiora miracula ab invisibili etiam creaturarum potestate remota ad notificandam diuinitatem hominibus inuigilatis? Accedunt insuper prophetiæ euentuum futurorum, qui nisi ab omniâ aliqua mente, qualis solus Deus esse potest, sub ea, quâ prænunciati sunt circumstantiarum comprehensione, ac certitudine, nullatenus præciri posse, manifestum vtiq; etiam est. Tota hæc demonstratio ad quintam viam S. Tho. reduci potest. Eaque vtuntur, præter Philosophos, ex Patribus Dionys. Athan. Nyssen. supra, & alij communiter. Latissimeque prosequuntur, & eruditè exornant Lessius supra, & Raynan. art. 6. necnon Martin. sect. 5.

139

Tertia demonstratio ex Philosophiâ moralis depromi potest. In qua, cum sit principium euidentis, & præmia virtutibus, & supplicia vitij debent, euidentis quoque sit, neuiquam posse deesse ab hoc Vniuerso, qui huiusmodi debitum tandem aliquando persoluat, cunctaque ad æquifiratem reducens cunctorum mèrita seu bona, seu mala compenset. Hoc autem in hac vitâ non fit; quandoquidem illam miserimè sæpe transigunt, vt videmus, ingentibus curis, laboribus, ærumnisque penè confecti homines, aliâs virtuti dediti, modesti, studiosi, imo & sancti; affluentibus, è conuerso fortunæ bonis, omnique mundanâ felicitate hominibus, aliâs sceleratis, facinorosis, enutritisque penè ab infantia in omni genere vitiorum. Igitur post mortem in vitâ futurâ faciendum procul dubio est; à Principe nimirum supremo, cui cura incumbit omnes hæc exorbitantias, atque inæqualitates æquandi, collato singulis præmio, aut supplicio, quod secun-

dum naturæ legem ipsorum opera deposcunt. Alioquin miserabiliores essent vt plurimum, qui de comparanda honestate morum, quàm, qui defruendo vitiorum luxu totâ intentione essent solliciti. Quod certè, & vniuersa lex naturæ, & tota ratio naturalis abhorret.

Quartam demonstrationem præbet vniformitas, & constantia humanæ auctoritatis, quæ aliâs in rebus minus certis tam multiformis, & instabilis esse solet. Quid enim est euidentius, ait Cicer. sup. col. 2. quàm esse præpotentem Deum. Quod nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vnâ cum sæculis, atatibusque hominum inueterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones falsas, atque vanas diuturnitate extrabuisse. Quis enim Hippocentaurum fuisse, aut chymæram putat? Quæne anus tam excois inueniri potest, quæ illa, quæ quondam credebantur apud inferos potentia, extimescat? Opiniones enim commenta delet dies; natura iudicia confirmat. Itaque immobilis de diuinitate persuasio tam fixè semper, & vbique gentium, atque nationum cordibus hominum insculpta argumentato est satis euidenti, esse Deum. Circa quod videndus Recupitus quæst. 16. & 20. vbi multam ad rem habet eruditionem.

Quinta demonstratio ab absurdo sic efformari potest, Ex suppositione, quod non sit Deus, multa falsissima, absurdissima, ab omni que ratione profus aliena euidenter sequuntur. Igitur, Deum esse, euidentis est. Consequentia est bona. Antecedens autem probatur. Quoniam si non est Deus, sequitur primò, omnes pene homines, qui hæcenus existere, in iisque, innumeros sapientissimos iuxta, atque probatissimos, aut etiam sanctissimos viros in re maximâ, & circa potissimam omnium scibilibum veritatum deceptos fuisse, sub densaque errorum caligine semper vixisse; solosque raros quosdam insipientissimos, atque perditissimos Atheos huius maximæ veritatis perfusos lumine ab hisce, erroribus fuisse immunes; idque stantibus pro existentia Dei adstruendâ multis, manifestisque fundamentis; pro negandâ autem nullis. Quod, quàm sit à ratione alienum, & euidenter incredibile, nemo non videt. Secundò sequitur, omnes actus virtutum, quæ circa Deum exercentur, vt fidei, spei, charitatis, timoris, obedientiæ, religionis, iustitiæ, gratitudinis, &c. reuera, & per se stultos; rationi dissonos, atque adeo vitiosos esse; probosque è contrâ, rationi consonos, atque adeo honestos omnes actus oppositorum vitiorum, vt sunt inobedienciæ, blasphemiæ, sacrilegia, contemptus Dei, & similia. Quod quàm euidenter sit falsum, aperitissimum est ex se. Tertio, cum persuasio de non existentia Numinis pupituri improbos, & probos remuneraturi miseris Atheos præcipiti lapsu deturbet in baratrum omnium impuritatum, iniquitatum, vitiorum, atque flagitiorum, vt experientia demonstrat, constatque ex illo Psalm. 52. Dixit inspiens in corde suo non est Deus: corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus; non est, qui faciat bonum: è contrâ verò persuasio de existentia Dei, deque providentiâ eius circa bonos, & malos totius virtutis, & honestatis fit fons, & origo, vt etiam monstrat experientia: siquidem quot quot honestate morum, virtutibus, sanctitate vitæ, aut etiam miraculis in toto Mundo flourerunt, diuinum Numen agnouerunt, ac venerati sunt; eoque vnusquisque melior, æquior, studio-

fior,

fior. & sanctior fuit, quò per notitiam, venerationem, & affectum ad diuinum Numen propius accessit. Sequitur planè; si Deum non existere verum est; falsum autem existere; primam, maximam, & fundamentalem veritatem humanæ vitæ instituendæ aperire portam mortalibus ad omnem nequitiam, aperiente interim portam ad omnem virtutem primo, & maximo errore opposito. Quod quàm sit immane absurdum, quis apertè non cernit? Quid enim absurdius excogitari, & fingi potest, quàm primam, summamque veritatem ab hominibus deprehensam ad omne nefas, & flagitium viam illis sternere, eosque sceleratissimos, impurissimos, & improbiissimos efficere: contra verò errorem summum eos ad omnem morum honestatem, vitamque maximè rationi consonam, & virtutibus excellentem inducere? Quis credat, falso, & impossibili figmento existentia diuinæ tantam inesse vim ad omnem virtutem; oppositæ autem, & necessariæ veritati tantam illecebram ad omne vitium? Veram, & summam sapientiam omnem morum honestatem extinguere, & homines efficere pessimos; falsam verò, & summam stultitiam ad culmen sanctitatis prouehere, & homines efficere optimos? Lucem summam intellectus summas afferre tenebras animorum; & summas intellectus tenebras summam lucem, & pulchritudinem animorum progignere? Quis, inquam, nisi summo furore, summæque amenitiæ actus sibi possit suadere, hæc monstram apertè chymærica verisimilia esse? Planissimè igitur, & apertissimè est monstrata, falsa, & chymærica suppositio de non existentia Dei, vnde illa sequuntur. Mitto alia piura absurda euidencia, quæ ex eadem suppositione possent inferri.

142 Hæc quinque rationes demonstrationes sunt procul dubio diuersis subnixæ medijs, siue principijs. Videamus modò, quid sentiendum de alijs, quæ pariter adferri solent ad demonstrandum, esse Deum.

143 Sexta, quæ est tertia S. Th. sic fere formatur. Aut omnia, quæ sunt in Mundo, sunt contingentia, aut aliquid est necessarium quoad existentiam. Si aliquid est necessarium, habetur intentum: quia id nequibit non esse à se, atque ita erit Deus. Si autem cuncta sunt contingentia. Ergo cuncta potuerunt non esse. Ergo possibile fuit, vt aliquando nihil existeret. Ergo possibile fuit, vt contingentia essent impossibilia. Quod est chymæricum. Nam, si aliquando nihil existeret, confesim nihil esset possibile: quia nihil posset incipere esse à se ipso. Non igitur omnia sunt contingentia quoad existentiam; sed aliquid est necessarium, & illud est Deus. Cæterum, argumentatio hæc, vt sit demonstratio, in primam, siue in principia primæ tandem est referenda, vti & ipse S. Th. retulisse videtur. Opponere namque posset aliquis, & asserere, aut omnia, aut pleraque saltem eorum, quæ in Mundo sunt, fatali quâdam necessitate fieri; atque ita necessariò existere: non quidem à se, & pro omni tempore, quod solùm est proprium Deitatis; sed à suis causis, & pro tempore determinato. Quo tota argumentatio corrumpitur; nisi addatur, quod addidit S. Th. in necessarijs, quæ habent causam suæ necessitatis, non posse procedi in infinitum; atque adeò aliquid tandem esse debere habens necessitatem à se. Quod est, recidere in principia demonstrationis primæ.

Septima ratio, quæ est prima S. Th. sic fieri solet. Quidquid moueri in Mundo experimur, ab alio mouetur: quia nihil potest moueri à se ipso; eo quòd mouens est ens in actu; quod mouetur ens in potentia: repugnat autem, vt idem secundùm idem sit simul in potentia, & in actu. Ast in ijs, quæ ab alio mouentur, non est possibile in infinitum progredi. Ergo non potest non esse aliquid immobile cætera mouens, quod est Deus. Hæc etiam ratio, nisi reducat ad primam, idque per multam interuenientem explanationem, demonstrationis euidenciam non videtur attingere. Imprimis enim circa principium illud, quod supponit, *Omne, quod mouetur, ab alio mouetur*; (ex quo Arist. lib. 7. Physic. fere per totum; & lib. 8. à text. 27. existentiam primi motoris immobilis demonstrare conatus est); diuersa sunt Doctorum placita. Alij enim censent, illud absolutè loquendo omnino falsum esse: quia multa sunt, quæ se ipsa mouent reducendo se per actum virtualem ad actum formalem; quem in se causant; vt in appetitu appetente, in lapide tendente ad centrum, in aqua se infrigidante, & in similibus cernete licet. Vnde apud hos ratio facta locum non habet. Alij per dictum principium solùm censent excludi, quòd possit aliquid esse simul mouens, & motum; atque adeò in potentia, & actu secundùm idem, ita, vt per id ipsum, ad quod mouetur, constituatur in actu, per quem mouetur: hoc enim manifestè repugnat. In eo namque, quod mouetur de calido in frigidum, non potest idem frigus, ad quod mouetur, esse principium, quo mouetur. Verùm in principio ita intellecto nullatenus ratio facta fundari potest. Stat enim benè, nihil à se ipso secundùm idem modo explicato moueri posse; & tamen, quilibet aliter à se ipso posse moueri; ita videlicet, vt eadem ipsius substantia, quæ mouetur, principium effectiuum sit motus, & accidentis, ad quod mouetur. Quo prorsus cessat discursus dictæ rationis.

145 Præterea alij, vt Aristotelis principio veritatem magis vniuersalem, & rationi in illo fundatæ vim demonstratiuam attribuant, ad generationem recurrunt, dicentes, ab illo saltem moueri, quæcunque ab alio extrinseco non mouentur, quatenus ab illo in suâ generatione virtutem, quæ mouetur, accipiunt. Quod magis explicans noster Fafol. dubit. 7. sub finem ait, omne quod mouetur, eo ipso quid imperfectum esse; quandoquidem ad id mouetur, vt perfectionem, qua carebat, accipiat; atque adeò non posse non illud habere causam superiorem, cui essentialiter subordinetur, à quaque recipiat vel esse, vel virtutem, qua mouetur; vel ipsum motum. Cùmque in causis essentialiter subordinatis nequeat abiri in infinitum; conficitur, necessariò asserendam esse aliquam causam primam omnimodis perfectam, immobilem, & improductam, & cætera mouentem, quæ est Deus. Verùm ex eo, quòd sit imperfectum, quidquid mouetur, non satis clarè sequi videtur, nisi explicetur ampliùs, debere illud aliquo modo moueri ab alio, accipiendo ab illo vel motum, vel virtutem motiuam; vt inde ad primum motorem immobilem deueniatur, adscito ad id etiam principio illo demonstrationis primæ de impossibilitate progressionis infinitæ causarum.

146 Quare, vt consentaneè (ni fallor) ad mentem Arist. & S. Th. locis citatis obiter totam hanc rem exponam, suppono primò tanquam

certum, omne, quod mouetur passiuè, per id, ad quod acquirendum mouetur, physicè perfectibile esse; eoque sine ad id moueri, vt per id perficiatur. Ex quo fit, neque formaliter præcontinere illud in se perfectionem termini, ad quem mouetur, neque ita eminenter, vt tam perfectum sit se solo, quam coniunctum cum ipso termino: alias per hunc non esset perfectibile, in casumque subinde ad ipsum, vt perficeretur per ipsum, moueretur, vt est suppositum. Suppono secundò, causam adequatam effectiuam dantem adequatè esse effectui totam perfectionem, quam illi dat, debere in se præcontinere tali eminentià, vt tam perfecta sit se solà, quam simul cum effectui producto: alioquin daret, quod non haberet, & daretur donatione: fieretque, vt vniuersitas rerum per bonum necunde alportatum, sed veluti ex nihilo pullulans ditior euaderet. Quæ sunt absurda. Si enim coniunctum ex effectui, & causà adequatà perfectius, æstimabiliusque esset, quam causà sola, excessus ille perfectionis, & oriretur ex causà, vt ponitur, & ex causà oriri non posset, quia in causà non erat contentum. Tum & daretur effectui à causà, & à causà, vt pote illud non præhabente, dari non posset. Tum causà dando effectui, quod non haberet, sibi, vniuersitatique rerum aliquid necunde comparatum acquireret. Quæ omnia implicatoria sunt. Itaque de conceptu causæ adequatæ videtur procul dubio esse, vt eminentiori quodam modo contineat, retineatque in se totam omnino perfectionem, quam dat formaliter effectui, adeò, vt producere talem causam suum effectum bonum, non tam sit nonam bonitatem, siue perfectionem ei dare, quam sub nouo quodam essendi modo extendere ad illum formaliter eandem, quam in se præhabet, retinetque eminenter. Qui est proprius modus, quem Deus habet communicandi suam bonitatem creaturis per earum productionem iuxta communem Theologorum sententiam, doctrinamque D. Dionysij, & aliorum Patrum.

147 Ex his duobus principijs sequitur primò, nullum omnino mobile posse esse causam adequatè effectiuam termini ad quem mouetur: quia esset simul, & non esset physicè per talem terminum perfectibile; perfectibile titulo mobilis ad illum; & non perfectibile titulo causæ adequatæ eius iuxta principia stabilita. Vnde secundò fit, nullum esse excogitabile mobile, quod à se solo moueri possit, quodque subinde non moueatur ab alio saltem inadæquatè. Iureque propterea, & verissimè pronunciauit Arist. celebre illud axioma, *Quidquid mouetur ab alio mouetur*. Merito etiam S. Th. consentaneè ad illud dixisse, idcirco non posse quidpiam à se ipso moueri: quia, quod mouet, est ens in actu; quod mouetur ens in potentia: repugnat autem, vt idem secundum idem sit simul in actu, & potentia. Quasi dicat: quia quod adequatè mouet, præcontinet actu eminenter totam perfectionem termini motus, quam non præcontinet, quod mouetur: repugnat autem, vt idem eandem perfectionem contineat in se simul, & non contineat. Vnde sequitur tertio, ne detur progressio infinita mobilium ab alio, primum motorem prorsus immobilem, & consequenter per aliud non perfectibilem dari debere, qui est Deus.

148 Octaua ratio, & quarta S. Tho. ex gradibus entium magis, & minus suscipientibus desumi solet ferme in hunc modum. Videmus in entibus, quæ existunt, alia magis bona alijs,

magis nobilia, magis perfecta, &c. Sed enim quodque dicitur magis tale ex eo, quod propius accedit ad id, quod est maximè tale. Ergo necesse est, vt sit aliquid maximè bonum, maximè nobile, maximè perfectum, &c. Illud autem est Deus. Sed verò minor huius discursus planè videtur esse falsa: nam in numeris, in corporibus, in qualitatibus, & in alijs huiusmodi alijs, alijs dantur maiora, seu magis talia, quin detur maximum, quo maius aliud dari non possit. Esse quippe vnum maius alio, non est plus accedere ad maximum sui generis, quod sæpe impossibile est; sed excedere aliud habendo aliquid amplius, quam illud. Respondet Valent. ad vim demonstratiuam huius rationis sat esse, quod detur de facto aliquid, quod maximum sit in suo genere; qualiter reuera datur in numeris, in corporibus, in qualitatibus, &c. quidquid sit de possibili. Semel enim statuto, quod in genere entis detur de facto aliquid maximè bonum, maximè nobile, & perfectum; inde fit gradus ad demonstrandum, tale quid esse Deum: eo quod aliud perfectius illo, & nobilius non est possibile. Quia nimirum neque à se potest incipere esse, neque ab eo, quod esse ponitur, aut ab inferiori potest fieri: cum constet nullum ens efficere posse aliud perfectius se. Quod si nullum ens maius eo, quod de facto est maximum, possibile est; concluditur planè, hoc esse Deum: cuius proprium est, talem esse in genere entis, vt aliud quid in tali genere præstantius illo sit impossibile. Addunt Recentiores, progressionem infinitam entium perfectione inæqualium omninò impossibilem esse; aliquidque proinde dari ens de facto reliquis præstantissimum. Nam, si ponatur ens album excedi quoad perfectionem à nigro, & nigrum ab alio albo, & hoc tertium ab alio nigro, & ita deinceps sine fine, nullum erit in tota progressionem ens album, cui non respondeat ens nigrum, à quo excedatur, nullumque pariter erit ens nigrum, quod non excedatur ab albo: totaque subinde collectio alborum à collectione nigrorum excedatur, & simul excedat illam. Quod est impossibile.

149 Sed primùm hoc argumentum alternatiuum æquè impugnat omne infinitum in actu quantitatis siue continuæ, siue discretæ: contra, omne enim fieri potest. Quare non maiorem euidentiã habet, quam opinio negans possibile tale infinitum. De quo latè agendum est infra disputatione 13. Estò tamen, sit impossibile, progressionem infinitam entium se excedentium modo dicto simul existere: adhuc ad ratiocinationem factam posset respondere Atheista, nullum ens singulare esse de facto reliquorum præstantissimum in genere entis; licet sit aliqua species entium cæterarum præstantissima, aut plures pares inter se: intra vnamquamque autem continua, & æterna successione alia indiuidua ab alijs æqualibus sibi produci: æquale enim ab æquali bene posse causari; etsi non possit superius ab inferiori. Tum, etsi admittatur esse de facto aliquod ens singulare cæterorum præstantissimum; hoc tamen ab alio sibi æquali, quod iam perijt, productum esse, & ipsum pariter post se aliud æquale relicurum, prout de Pœnice fabulantur: sicque æternam seriem generationum huiusmodi entium, sicut, & reliquorum contexi. Nisi igitur ad primam demonstrationem recurramus, pro relegandis hisce infinitis generationum progressionibus ex gradibus, in quibus aliqua entia alijs

alijs de facto videmus esse præstantiora, nihil profecto videtur contra Atheistas euidenter posse concludere, sicuti per rationem factam prætendebatur.

150

Adhuc tamen ex huiusmodi gradibus aliter sibi videntur Recentiores citati hoc modo assumptum propositum demonstrare. Vel datur inter entia existentia aliquod optimum omnium, tam possibile, quam existentium carens omni defectu, vel non. Si datur: habetur intentum: nam tale optimum est Deus. Si non datur; inde argumento mirabili inferitur dari; & iterum intentum habetur. Nam si non datur, omne ens existens erit habens defectum, & finitum quoad perfectionem. Erit igitur tota collectio existentium optimum ipsorum existentium: quia ubi partes sunt bona finita, totum est melius partibus. Cùmque in existentium collectione nequeant non contineri eminenter cætera possibilis, horum quoque erit illa optimum. Habemus ergo existere aliquod optimum omnium entium, tam possibile, quam existentium. At hoc nequit esse collectio existentium: quia ex partibus imperfectis totum absque imperfectione, quale optimum omnium entium esse debet, constare nequit. Igitur datur aliud ens optimum, omni carens imperfectione; quod dicimus Deum. Sed certè ego non video, quo pacto tandem colligat arguens, dari ens singulare optimum non habens imperfectionem, quale Deus est, ex eo, quod aggregatum existentium sit optimum existentium, & possibile, inuoluens tamen imperfectionem. Quandoquidem ex tota ratiocinatione facta, ne probabiliter quidem potest amplius concludi, quàm dari hoc optimum, vel illud sub disunctione, ut consideranti patebit. Tantùm abest, ut demonstretur, dari determinatè illud, quod conuertibile cum Deo est.

151

Nona ratio ex doctrinâ Anselmi, de qua nos late egimus supra quæst. 5. ita constructur à P. Vazq. appellante eam acutam demonstrationem. Deus est id, quo melius excogitari non potest. Sed id, quo melius excogitari non potest, nequit esse in solâ cogitatione; sic enim non esset melius: quia melius est, quod in cogitatione, & in re ipsa est. Ergo Deus est in rerum naturâ. Ita ille. Cæterùm, quàm fallax sit iste discursus, ex dictis à nobis loco citato satis, superque constat. Ex eo enim, quod quispiam iudicet, Deum esse id, quo maius excogitari non possit, & consequenter esse existentem ex suo conceptu obiectiuo, atque adeo intra statum quiditatum, neutiquam potest induci ad iudicandum, existere eum in statu existentiali, (quod modò demonstrare contendimus), prout ibi manifestè monstratum est.

152

Decima ratio tradita à P. Fasol. dubit. 6. & à Recupito quæst. 15. ex Scoto & Aureolo eodem modo demonstrare conatur existentiam primæ causæ finalis, sicut per primam demonstrationem est demonstrata existentia primæ causæ efficientis. Sed incausum. Primò: quia intra genus causarum efficientium nequit non tandem perueniri ad aliquid non causatum effectiue, atque adeo existens à se, à quo cætera cuncta, quæ causantur effectiue, proficiantur: quia hæc neque à se ipsis, neque mutuò alia ab alijs causari possunt effectiue. At intra genus causarum, finalium non opus est, quod detur aliquid non causatum finaliter, à quo finaliter causentur, quæque eo modo causantur: quia possunt singu-

la à se ipsis finaliter causari, aut etiam alia ab alijs mutuò. Imò de facto quidquid propter se tanquam bonum delectabile, honestum, aut absolutum appetitur, non verò tanquam vile ad aliud, id à se ipso causatur finaliter: de quo plura suo loco. Secundò: quia aut est sermo de fine adipiscendo, quem appellamus finem qui, aut de subiecto, cui aliquid adipiscendum appetitur, & appellatur finis cui. Si de primo: certum est, non omnia, quæ sunt in Vniuerso, in vnum tandem finem referri: quia neque creaturæ, neque Deus ipse efficiunt cuncta ad obtinendum insolidum vnum aliquid, quo carebant. Si autem sit sermo de secundo; etsi sit certum, de facto Deum cuncta, quæ facit, referre ad se tanquam ad finem cui vltimum; sunt tamen, qui putent, posse eum multa ad se non referre, si vellet; de quo in Tract. de volunt: à creaturis vero, certum est etiam, non omnia ad talem finem referri. Tertiò: licet tam à creaturis, quàm à Deo cuncta ad vnicum, & vltimum finem dicenda essent necessariò ordinari: at certè id euident non est. Ex quibus manifestè concluditur ab effectibus, & causalitatibus finium nihil omnino posse depromi, quo demonstretur existentia primæ causæ finalis.

153

Vndecima ratio ad demonstrandum, esse Deum, inducitur à Molina sic. Imperfectissima omnium substantiarum, quæ est materia prima, non habet esse à se: quia esse à se substantia solùm perfectissimæ potest attribui. Ergo habet esse ab alio, idque ex nihilo, & per creationem: quia non datur alia materia ex qua educatur. Ergo constituenda est aliqua substantia corporis expertis habens esse à se, quam Deum appellamus. Hanc consequentiam post longum discursum tandem quoad vltimam partem probat Molina: quia si talis substantia non haberet esse à se, haberet ab alio, & cum non detur processus in infinitum, tandem deueniendum esset ad substantiam habentem esse à se, quæ est Deus. Ecce quomodò tandem etiam Molina recidit in primam demonstrationem, quam ipse immediatè antea tradiderat.

154

Duodecima ratio eiusdem Molinæ talis est. Animus rationalis est immortalis, existensque independentè à materiâ, atque adeo per creationem. Ergo, cum nullum corpus vim possit habere creandi, admittenda est substantia spiritalis, quæ ex se habeat esse, præsensque sit his rebus inferioribus, animosque hominum ex nihilo creatos corporibus infundat; quæ est Deus. Verùm nemo non videt, quot sint hæc assumpta à Molina, & non demonstrata: nempe, animum rationalem esse immortalem, & existentem per creationem; nullum corpus habere posse vim creandi: omnes animos rationales ab vnicâ substantiâ spiritali creari, quæ præsens sit his inferioribus: & hanc habere esse à se. Demonstrat prius horum singula Molina, (quod non præstabit), & manebit demonstratum ab ipso per hanc rationem, esse Deum.

155

Accedant decimo tertio loco Recentiores, quorum argumenta inducta ad probandum, per se notam esse quoad nos existentiam Dei, supra quæst. 5. proposit. 4. tanquam fallacia reiicimus, atque diluimus. Modo enim similibus sophismatibus iterum putant, se demonstrare, Deum existere. Primò sic. Possibile est ens, cui conueniant omnes perfectiones simpliciter simplices. Ergo possibile est ens necessariò existens à se.

se, omnique imperfectione carens, quod dicimus Deum. Consequentia est evidens: quia è numero perfectionum simpliciter simplicium sunt, existere necessario à se, & omni imperfectione carere, ut constat. Antecedens probatur: quia, si omnes perfectiones simpliciter simplices in idem ens conuenire non possent, mutuo inter se pugnarent: quia mutuo se in bonitate excederent, quod est impossibile. Cum enim perfectio simpliciter simplex sit, quæ melior est, quam non ipsa, id est, quam ens quoduis ipsam non habens; si sapientia verbi gratia, & iustitia eidem enti non conuenirent, sed diuersis: eo ipso, quod melius esset, esse ens sapiens, quam non sapiens, & esse ens iustum, quam non iustum, melius esset, esse ens sapiens, quam iustum, vicissimque esse ens iustum, quam sapiens. Quod implicat contradictionem. Tantumdemque in cæteris perfectionibus simpliciter simplicibus eueniret.

156 Secundo, quod sit possibile, & consequenter etiam existens ens non imperfectum, atque adeo nullà perfectione simpliciter simplici carens, qualis est Deus, sic probant à naturà imperfectionis petito argumento. De ratione imperfectionis est, esse meliorem non ipsam, quam ipsam, ut constat: quia melius est, esse ens non imperfectum, quam imperfectum. Sed non est melius, esse chymaram, quam non chymaram, ut est notissimum. Ergo ens non imperfectum, non est chymara. Ergo ens non imperfectum possibile est. Quo semel statuto, consequenter fit, tale ens necessario existere: quia posse non existere est imperfectio: rursusque nullà perfectione simpliciter simplici carere: quia carere quauis est imperfectio.

157 Tertio sic probant, possibile esse, & consequenter etiam existens aliquod ens à se. Quia si omne ens est ab alio, esse à se non erit differentia entis, sed chymara. At hoc fieri non potest: quia, cum non esse à se, sed ab alio, sit euidenter imperfectio; sequeretur, omne ens esse imperfectum: quia non est chymara. Quod est absurdum. Quippe nihil intelligitur imperfectum, nisi ex defectu perfectionis. Chymara, autem non est perfectio, sed potius imperfectio, ut constat. Eademque forma arguendi, quam ex S. Tho. & Peripateticis mutuam eximie commendant Recentiores, probari potest, esse possibile aliquod ens supremum, independentem, non imperfectum, immortale, incorruptibile, &c. Vniuersaliter enim per istam arguendi formam probatur possibilis omnis perfectio ex cogitabilis, cuius non esse est imperfectio. In quo vno cardine voluntur tria hæc argumenta, acuta quidem, sed fallacia.

158 Quorum fallatiam ut clarè aperiã, suppono primò ex dicendis latinis infra disput. 15. perfectionem simpliciter simplicem dici à Thologis communiter, quæ melior est ipsa, quam non ipsa, hoc est, quam quoduis aliud ens incompatible cum ipsa, iuxta doctrinam S. Ansel. in Monolog. cap. 14. & in Profolog. cap. 5. In quarum perfectionum genere aliæ sunt propriæ solius Dei, ut esse increatum, esse Omnipotentem, &c. aliæ sunt communes Deo, & creaturis, ut esse intellectuum, esse substantiam, &c. Suppono secundo, quod caret quauis maiore perfectione, eo ipso dici imperfectum, negatiue tantum, si perfectio nullo modo sit illi debita, positiue autem, si sit debita aliquo modo. Suppono tertio, quidquid apprehenditur in se ipso

cum aliquà essentiã positiua, eo ipso esse perfectio- nem ex suo conceptu obiectiuo: quia de conceptu entis in vniuersum est, esse bonum, atque adeo dicere perfectionem; quæ quidem aut simpliciter simplex, aut non simpliciter simplex erit, iuxta essentiam conceptus apprehensi. Suppono quarto, (dato pro nunc quod omnis chymara impossibilis sit mera imperfectio absque vlla perfectione, neque quo agendum infra disput. 15. quæst. 9.) posse nihilominus aliquid reuera impossibile concipi præditum qualibet perfectione, imò & omni perfectione absque vlla imperfectione, ut sæpe concipitur alter Deus. Quo casu nequibit non esse illud tale, quale esse concipitur, ex suo conceptu obiectiuo, & in statu quiditatio: tamen reuera, & simpliciter tale non sit; eo quod reuera, & simpliciter tale esse non potest in statu existentiã absoluto. Pariterque quauis apprehensa imperfectio aut ex solo suo conceptu obiectiuo, aut etiam reuera, & simpliciter talis, qualis concipitur, esse potest. Quam doctrinam quia Recentiores non aduerterunt, in superiores, & alias multas impegerunt fallacias, ut supra iam quæst. 5. proposuit. 4. notauit.

159 Igitur ad argumenta proposita imprimis dico in vniuersum, probari quidem pariter posse similibus arguendi formis, aut esse plures, vel innumeros Deos, aut alium Deum à verò Deo distinctum dari, aut denique eos omnes conceptus possibiles, vel etiam existentes esse, qui ex essentiã suã obiectiuã eximie perfectiones sunt; quia tales concipiuntur: cum tamen alias reuera, & simpliciter sint chymara. Quod consideranti, & applicanti dictas formas notum fiet, Vnde & ipsarum innotescet fallacia. Deinde dico ad primum, hoc ipso, quod concipiuntur possibiles plures perfectiones simpliciter simplices, in promptu esse, ut concipiatur possibile ens aliquod, in quod omnes conueniant: dato pro nunc, quod ex essentiã obiectiuã perfectionum simpliciter simplicium bene inferatur iuxta eam definitionem datam, quod sint compatibles omnes in eodem ante, prout ab arguente supponitur: de quo nos infra disput. 15. quæst. 7. Cæterum; sicut de quibusvis perfectionibus simpliciter simplicibus apprehensis nos ex vi talis apprehensionis præcisè iudicare non possumus, an sint possibiles, atque adeo tales, ut apparent, reuera, & simpliciter; vel secus: est iudicare possumus, esse eas possibiles, & tales ex suo conceptu obiectiuo, ut ex doctrinã traditã supra quæst. 5. proposuit. 4. constat. Ita de ente tales omnes perfectiones complectente nequaquam iudicare possumus, an sit possibile, tam bonumque, ut apparet, reuera, & simpliciter; an secus: est iudicare possumus, esse illud tale ex suo conceptu obiectiuo. Cum quo compati potest, quod sit verè, & simpliciter chymara. Ad secundum dico pariter, solùm probare, ens non imperfectum, seu nullà carens perfectione ex conceptu suo obiectiuo, ex eodem conceptu obiectiuo non esse chymaram; sed hoc ad probandum reuera Deum esse, quid confert? Quandoquidem nihil est, quod prohibeat, ens non imperfectum ex conceptu suo obiectiuo solummodo ex eo suo conceptu esse tale; re tamen verã & simpliciter esse chymaram, ut ex dictis est notum. Ad tertium denique similiter dico, quantumuis euidenter sit aliquid perfectio ex suo conceptu obiectiuo, ex vi eius apprehensionis præcisè nos scire non posse, an sit tale, & consequenter possi-  
bile

bile reuerà, & simpliciter. Vnde nec de ente tali perfectione carente possumus scire, an titulo carentiæ eius sit reuerà, & simpliciter imperfectum: etsi sciamus tale esse ex conceptu suo obiectiuo. Ex quo patet, per formam dicti argumenti tantum probari, conceptum entis à se perfectionem esse possibilem, & consequenter existentem ex suo conceptu obiectiuo, ex eo quòd ens ab alio defectu talis perfectionis ex suo etiam obiectiuo conceptu est imperfectio. Verumtamen, sicut de conceptu entis à se ex terminis nihilominus scire non possumus, an sit reuerà, & simpliciter talis, qualis nobis apparet, vt constat ex dictis. Ita nec de ente ab alio possumus scire, an ex defectu essendi à se reuerà, & simpliciter imperfectum sit, vt apparet: casu enim, quòd verè esset impossibile ens à se, vt Athei effutiunt, ex defectu essendi à se nullum ens esset verè imperfectum: quia nihil potest esse imperfectum ex defectu essendi chymæram; vt bene in argumento supponitur, dato, vt dedimus pro præfenti, quòd sit imperfectio pura absque ulla perfectione quæuis chymæra. Ex quibus omnibus satis apparet, quàm longe à veris demonstrationibus de existentia Dei absint Recentiorum argumenta proposita. Videatur insuper ad rem quòd dicimus infra disput. 15. quæst. 9.

160

Sequitur modò, vt aliud eorumdem Recentiorum argumentum examinemus, per quod, supposita existentia alicuius entis necessarij, quam ipsi per se notam existimant, demonstrare sibi videntur, tale ens esse vnicum, & improductum, & causam primam cætera cuncta entia causantem. Quanquam enim non sit euidentis aliquid ens necessarium dari, quo pacto censent Recentiores, vt ostendimus quæst. 5. proposit. 4. quia tamen ratio sexta supra n. 143. proposita planè demonstrat, non omnia contingentia esse posse; sed aliquid necessarium quoad existentiam saltem pro tempore, quo existit, esse debere: vtile erit examinare, an bene probetur, tale necessarium esse vnicum, & causam primam aliorum entium, atque adeò Deum. Ergo, vt id probent Recentiores, primùm assumunt, ac supponunt, *Omne ens imperfectum esse contingens*. Quod probant primò: quia omne imperfectum habet meritum displicendi, quale non habet necessarium: quia stultè displiceret eius existentia. Secundò: quia, quòd vniuersitas rerum sit pura ab imperfectione, bonum est, atque adeò possibile: est quippe omne bonum possibile; cum conuenienter existat: & nulla chymæra bonum est. Si autem aliquid imperfectum necessarium esset, vniuersitatem rerum puram esse ab imperfectione, non esset possibile, vt constat. Tertio: quia, cum de conceptu entis, in quo fundatur bonitas, sit posse existere, ens necessarium nequit non esse summè ens, vrpote summè potens existere, & consequenter summè bonum; atque adeò non imperfectum. Quarto: quia iuxta Arist. perfectius quid est, esse aliquid in actu, quàm in potentia tantum, Vnde ens necessarium nequit non esse summè perfectum; cum sit summè remotum ab hoc, quòd est, esse in potentia tantum. Ex hoc statuto principio inferunt, ens necessarium esse vnicum: quia, si essent plura, aut essent inæqualia in perfectione, aut saltem aggregatum omnium excederet singula; quæ subinde imperfecta essent: cum sit imperfectio excedi ab alio: atque adeò iuxta principium statutum non essent necessaria, sed contingentia contra suppositio-

nem. Posito autem, quòd ens necessarium sit vnicum, rursus inferunt, esse causam primam, aliorum entium: quia ea, vtpote contingentia, non possunt non contineri in eius virtute; ab illoque vno subinde effectiuè procedere. Quòd autem per intellectum, & voluntatem procedant, tandem inferunt Recentiores: quia sunt cognoscibilia, & amabilia.

Sed verò ratiocinatio hæc longè à demonstratione videtur abesse. Nam principium, in quo tota nititur, non satis ostenditur. Probatio enim eius prima firma non est: cum sit probabile, imperfectionem merè negatiuam, qualis est, de quâ agitur, displicentiæ positiuæ obiectum, idoneum non esse; nedum habere meritum displicendi. Reliquæ autem tres probationes fallaciæ laborant haud dubie familiarissimâ Recentioribus confusionis, seu confundendi possibilitatem, necessitatem, perfectionem, imperfectionemque quæ tales sint præcisè ex suo conceptu obiectiuo, cum ijs, quæ reuerà, & simpliciter tales sint; vt cuique eas consideranti iuxta doctrinam nuper traditam, & sæpe aliàs repetitam facillè notum fiet. Subducto autem dicto principio, tota dicitur facti structura ruit.

Ex quibus omnibus apparet, independenter ab experimentalis notitiæ creaturarum Dei existentiam demonstrari non posse, vt præfati Recentiores conati sunt contra communem cæterorum Theologorum consensum vanimè asserentium, vt vidimus quæst. 6. Deum à nobis pro statu præfenti aliter, quàm à posteriori ex creaturis, naturaliter demonstrari non posse. Mitto autem alias rationes, quas alij ad idem assumptum aliter solent efformare: quia vel recidunt in præcedentes; vel non esse demonstratiuas, conspicuum est.

### QVÆSTIO VIII.

*Vtrum eò usque sit euidentis, Deum esse, ut à nemine inuincibiliter ignorari queat.*

**I**gnorantia inuincibilis alicuius veritatis dicitur illa, quæ humanâ diligentia superari nequit, seu vinci. Est duplex. Alia inuincibilis physicè, quam homo nullâ omnino diligentia sibi possibili superare valet. Alia inuincibilis moraliter, quam homo vincere non potest per adhibitam diligentiam debitam ad illam vincendam iuxta materiæ qualitatem; tametsi possit per maiorem non debitam. Ignorantia verò moraliter vincibilis rursus est duplex. Alia inculpabilis: quia non aduertit homo obligationem, quam habet querendi veritatem. Alia culpabilis: quia aduertit, & adhuc non querit. De omnibus his potest esse dubium discutiendum in præfenti quaestione.

Circa quam Gran. 1. par. contr. 1. tract. 1. disp. 1. sec. 3. absolute censet, non posse in hominibus reperiri ignorantiam inuincibilem de existentia Dei; licet ad finem sectionis addat, in vno, vel altero valde rudi, & in syluis enutrito, & per aliquod tempus posse. Refert autem pro sua sententiâ Victoriæ, eamque colligit ex Altifiodorensi, Abulensi, & Lyrano. Pro qua etiam stat Franc. Amic. 1. p. disp. 2. n. 18. & Recupit lib. 1. quæst. 7. Moliæ verò 1. p. quæst. 2. artic. 1. §. Ex dictis.

161

162

163

164

*Arriag.* Zúmel ibid. concl. 3. Trigos. artic. 2. dub. 1. ad 4. Medina 1. 2. quæst. 89. artic. 6. & Arriaga 1. p. disp. 2. sec. 3. absolute pronunciant, ignorantiam inuincibilem existentia Dei in aliquibus hominibus esse posse. Quibus consentit Quirós disp. 13. sect. 7. Est autem sermo de hominibus non profusis stolidis, & amentibus, aut nondum adeptis vsum rationis; sed qui iam sunt rationis compotes, prout satis est ad peccandum, etiam mortaliter. Infantes enim, & amentes, dubium non est, quin possint ignorare Deum inuincibiliter omnino.

### Propositio I.

165 In aliquibus hominibus valde rudibus, & sine vllâ aliorum doctrinâ in syluis, aut etiam in contubernio similibus enutritis, credibile mihi est, dari posse ignorantiam omnimodis inuincibilem Dei.

Primò: quia huiusce generis homines vix de alio cogitant ab ijs, quæ per sensus intrant, & in quæ eos appetitus animalis impellit; adeoque toti sunt in huiusmodi, vt mirum non fuerit, quod nunquam accidat, illos altiori aliquâ de Deo cogitatione perentari. Secundò: quia, licet nonnulla interdum subrepat, adeò tamen confusa, & languida est, vt nequeat homines promouere ad tam sedulam, & diuturnam considerationem, quam erat necesse, vt eorum ruditas existentiam Dei per discursum assequeretur. Tertio: quia, connexio creaturarum cum Deo, per quam dumtaxat est ille ab hominibus naturaliter cognoscibilis, non adeò est obuia, vt cunctis quantumuis rudibus statim se prodât; requiritur enim ad eam per se, & sine magistro deprehendendam mediocritas quædam ingenij, quam, supponimus, non attingere hos homines, de quibus tractamus. Eiusmodi autem connexione non assequitur, non est, vnde inducantur illi ad indicandum, esse Deum. Quarto: quia sepe rusticos ad similes in ebus facillioribus, etiam quibus per magistrum illos instruere tentamus, adeò hebetes ad ascitendum experimur, vt inde possimus quære, fore, vt per se ipsos sine magistro natenus tales homines possent conscendere ad indicandum, esse Deum. Quid ni igitur vbi magister deest, nec magis adiuuat ingenium, id profus inuincibiliter aliquibus erit ignotum?

166 Verum contra nostram propositionem opponit Gran. primò illud ex Iob. 36. *Omnes homines vident eum, & vnusquisque intruetur procul.* Vbi sermonem esse de cognitione Dei naturaliter comparabili, eruditè ex Patribus probat, ibi Pineda, & expressit D. Greg. explicans hunc locum lib. 27. Moral. cap. 3. dicens, *Omnis homo eo ipso, quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui se condidit, Deum esse. Quem vnum iam videre est, dominationem illius ratiocinando conspiciere.* Similem sententiam affert Gran. ex D. Hieronymo. Per quæ, putat, suam sententiam probari. Sed primùm testimonia hæc in ipsum Gran. retorqueri possunt: siquidem vniuersalia sunt, & ipse in vno, vel altero rudi homine, concedit, esse possibilem ignorantiam inuincibilem Dei. Deinde, si quid ea probarent, non solum inuincibilem, sed omnimodis vincibilem, culpabilemque ignorantiam, de existentia Dei circumscriberent contra alia scripturæ loca eam in aliquibus adstruentia.

Sap. 13. Psalm. 13. & 52. & ad Rom. 1. Verba quippe illa *vident eum, & intruetur procul* omnino excludunt ignorantiam de obiecto viso.

167 Respondeo igitur, dicta verba imprimis vnus esse ex amicis Iob Eliu; cui fides infallibilis non debetur; imo ne ab ipso quidem depropta sunt ex proprio peno, sed recitatiuè prolata ex quadam cantilena vulgari, quæ ita incipiebat, vt satis clarè indicat textus ita habens, *Memento, quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum, &c.* Et docet noster Gasp. Sanct. ibidem. Quod notarim, vt perspicue pateat, quam sine angustia locum ex Scripturâ obiectum interpretari possumus. Dicendum ergo est, per illum dumtaxat significari, omnes homines, loquendo moraliter, & vt implurimum, cognoscere Deum. Quod non tollit, esse in aliquibus rudioribus ignorantiam inuincibilem eius. Quo eodem sensu intelligendus est Gregorius, Hieronymus, & alij Patres, si quando vniuersaliter proferunt, aut significant, omnes homines naturaliter posse assequi notitiam Dei; vt sunt Cyprian. tract. de Idololorum vanitate num. 64. & 65. August. tract. 106. in Ioan. circa illud *Pater manifestauit nomen tuum hominibus*, Damasc. lib. 1. fidei cap. 1. Chrysol. homil. 2. in cap. 1. epist. ad Roman. Quos postmodum pro se allegat Gran. Veritati enim huiusmodi propositionum vniuersalium non officit aliquis exceptio; præsertim quando illa penes materiæ qualitatem non in rigore mathematico, sed à communiter contingentibus accipiuntur, vti euenit in præsentî. Præterquamquod testimonia commemoratorum Patrum speciales alias possent interpretationes subire, quas modò perscqui superuacaneum duco. Certè August. expressè dicit loco citato. *Exceptis enim paucis, in quibus natura vnum deprauata est, vniuersum genus humanum Deum Mundi huius fatetur Auctorem.* Quidni etiam diceret; exceptis paucis nimis rudibus, & incultis?

168 Tam verò locus ille alter Sap. 13. quem pro se etiam adfert Gran. *Vni autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, &c.* maiorem difficultatem non ingerit; est supponat, eiusmodi homines culpabiliter ignorasse Deum. Tum: quia, non negat, posse alios inculpabiliter ignorare. Tum maxime: quia, vt docet August. tom. 7. in lib. expositionis quarundam propositionum epist. ad Roman. sub initium, & noster Tolet. in cap. 1. eiusdem epist. annot. 42. ibi sermo est de Philosophis, qui tantum potuerunt scire, vt possent estimare sociolum; & tamen huius dominum non facillius inuenerunt. De quibus potissimum etiam loquitur Paulus in dicto cap. 1. ad Roman.

169 Secundò à ratione arguit Gran. Nullus est homo rationis particeps, quantumuis agrestis, & barbarus, qui non discernat inter bonum, & malum, discursuque deprehendat, quid honestum, quid turpe sit; adeò, vt si primum amplectatur, bonè, & laudabiliter, si secundum, male moraliter, vituperabiliterque operetur. Ergo eadem intelligendi, atque ratiocinandi vi ex creaturis, quæ sensui patent, poterit vnusquisque venire, de factoque veniet in aliqualem saltem, cogitationem Creatoris; vnde ad eum plenius agnoscendum citra inuincibilem ignorantiam, possit induci. Respondeo, homines, de quibus tractamus, in aliquibus quidem materijs, quæ sensibus sunt propinquiores, discernere bonum à malo;

malo; secus in alijs remotioribus etiam spectantibus ad ius naturale. Cum enim vnusquisque quantumvis rudis, & inculcus iniuriam sibi illatam, cuiusvis ea sit generis, persentiscat, & agrè ferat; gratanterque e contra suscipiat beneficia sibi collata; nequit non statim dignoscere, turpe esse, & rationi dissonum, se alterum iniurijs afficere; consonum autem, & honestum, se ei benefacere, ex illa euidentiſſima, cunctisque promptiſſima notione, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris, sed, quod vis.* Hæc, inquam, cum adeo prope sensum humanum sint, à nemine rationis compote possunt inuincibiliter ignorari. Ex hoc tamen non sequitur, idem dicendum de existentia Dei, quæ longè à sensibus hominum remotior est. Quomodo autem homines ignorantes Deum, atque adeo nescientes, se cum peccatis offendere, peccare nihilominus possint etiam grauius contra legem naturæ, non est huius loci disquirere; in materiâ de peccatis est discutendum.

170 Sed obijciunt in super alius contra propositionem. Nullus est homo, cui Deus non prouideat de auxilio sufficiente ad consequendam salutem, vt vnanimiter docent Theologi in materiâ de prædeterminatione. Sed ad consequendam salutem est necessaria notitia Dei. Ergo nullus est homo, qui non sit instructus sufficienter ex Dei prouidentia ad comparandam notitiam eius, quæ subindè ignoret ipsum inuincibiliter. Distinguo maiorem. Nullus est homo, cui Deus non prouideat de auxilio sufficiente proximè ad consequendam salutem; nego; sufficiente proximè; vel remotè, (quod duntaxat docent Theologi) concedo. Et concessa minore, distinguo pariter priorem partem consequentis; & nego posterio-rem. Itaque, quemadmodum multi sunt impotes proximè defectu prædicantis ad concipiendam fidem diuinam, sine quâ salus obtineri non potest; & nihilominus auxilium sufficiens ad salutem habere dicuntur, quatenus illud habent ad abstinendum à peccatis; à quibus si abstinerent, in promptu adessent Dei prouidentia cætera media necessaria. Sic, qui præ eximia ruditate impotes proximè sunt ad acquirendam per se ipsos sine instructore notitiam Dei, sine quâ nequeunt salui fieri, non propterea censendi sunt destituti auxilio sufficiente ad salutem; quando quidem illud habent ad non peccandum; & consequenter ad se disponendum, vt Deus illis prouideret de reliquis.

171 Postremò opponi possunt Patres, quorum mentionem fecimus supra quæst. 2. quatenus asserunt, notitiam Dei hominibus inditam esse, atque congenitam à naturâ: cum quo non videtur posse componi; quòd aliquis inuincibiliter Deum ignoret. Respondeo per hæc Patrum loquutiones ignorantiam etiam Dei inuincibilem, atque culpabilem videri ecludi; quæ tamen in alijs quibus negari nequit secundum illud Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus;* & secundum sententiam omnium. Quare dicendum est, Patres per dictas loquutiones tantum velle significare eximiam promptitudinem, quam natura rationalis habet ad comparandam notitiam Dei vel suapte ingenio, si sit mediocre, factio discursu, si ex creaturis, vel beneficio disciplina; si non si aliud non suffert aut nimia incuria, aut nimia hebetudo intellectu.

Propositio 2. *Credibile etiam mihi est, dari posse aliquos, qui inculpabiliter ignorent Deum; tamen eorum ignorantia neque physice, neque moraliter sit inuincibilis.*

172 Mouet: quia ex vnâ parte bene componitur, quòd aliqua ignorantia non solum physice, sed etiam moraliter sit vincibilis; quia homo non solum per summam, sed per debitam diligentiam poterit illam excutere; & quòd nesciat ille, vel non aduertat, se esse obligatum ad talem diligentiam adhibendam; atque ita citra omnem culpam eam omittat, & in ignorantia persistat. Ex aliâ verò parte non videtur esse adeo euidens obligatio, quam habet homo ad inquirendam notitiam Dei, cum primum incidit in principia ad id sufficientia, vt non queat illa à rudi aliquo, vel nimis incurio intellectu, vel ad alia nimium distracto aut nesciri prorsus, aut penitus non aduerti, etiam per longum tempus.

QUESTIO IX.

*Qua ratione fide diuinâ possit credi, Deum esse.*

173 Quid sit de fide, Deum esse, atque adeo per fidem diuinam credibile, superius quæst. 2. propositione vnica statutum est. Superius modò examinandam; qua ratione articulus iste per fidem diuinam credi possit. Duplex est ratio difficultatis. Prima; quia cum sit euidens, esse Deum, vt constat ex dictis quæst. 6. & 7. non videtur circa id habere locum fides, quæ est *argumentum sperandarum rerum non apparentium* secundum Paul. ad Hebræ. 11. Secunda; quia non videtur posse homo assentiri existentia Dei propter testimonium ipsius Dei dicentis, se existere, atque adeo iam præsuppositi existentis; si enim credo, Deum existere; quia ipse dicit, se existere. Ergo præsuppono ipsum dicere se existere, & consequenter ipsum existere. Quomodo ergo per ipsius dictum id ipsum possum credere? Deinde, quòd dicat Deus, se existere; aut etiam, se esse Deum auctoritatis infallibilis; non magis permouere nos potest, si aliunde notum id non prænotuimus, vt illi assentiamur; quàm si id ipsum de se ipso affirmaret; quilibet homo, alijs nobis ignotus, vniuersaliter enim fidem non potest facere testimonium cuiuspiam, qui aliunde, quàm per ipsius testimonium, non præhabetur fide dignus. Quid enim prodest ad faciendam fidem, quòd dicat quisque, se fide dignum esse; si alium de diiudicari nequit, vtrum vel in hoc ipso falsum sit? Quòd si dicatur, opus esse ad credendum, Deo de sua existentia, de suâque Deitate; atque auctoritate testanti, quòd Deitas ipsa; auctoritasque prout existens aliunde præcognita supponatur, adhuc persistit difficultas; nequibit enim fides diuinâ tali prænotioni subnixâ omnimodò infallibilis esse; prout debet; quia dicta prænotio aliunde, quàm à testimonio Dei, comparatâ nequâquam potest esse omninò infallibilis; præsertim in ijs, qui metaphysicam de diuinitate euidentiâ præternitate ingenij non assequuntur; qui plurimi sunt iuxta dicta quæst.

E

quæst. 8. Sublatâ autem infallibilitate huiuscemodi prænotionis, infallibilitas fidei illi subnixæ pefum it.

174

Pro resolutione prioris difficultatis triplex ex materiâ de fide est commemoranda sententia. Sunt enim, qui absolute opinantur, obiectum aliâs euidenter cognitum siue abstractiuè, siue intuitiuè fide diuinâ credi non posse. Ita Lorca 2. 2. disput. 14. Gran tract. 2. disput. 7. sect. 3. Turrian. disput. 8. dub. 5. & 6. Molin. 1. par. quæst. 1. artic. 2. disput. 4. cum Scot. Caiet. Sor. Bann. Capreol. Ferrar. Ricard. Almat. & alijs citatis ab illis, ab alijsque mox referendis. Hi profectò non facile à propositâ difficultate se extricant. Alij verò, apud quos illa locum non habet, ex aduersò censent, actum fidei diuinæ cum quouis alio euidente siue abstractiuo, siue intuitiuo eiusdem obiecti componi posse. Sic Petr. Hurt. 2. 2. disput. 30. sect. 2. & 3. Tann. disput. 1. quæst. 1. dub. 6. Valent. disput. 1. quæst. 1. pun. 4. Arriag. disput. 6. de Anim. sect. 6. & Oued. contr. 5. de Anim. pun. 3. num. 19. & 21. cum pluribus ab eis relatis. Tertia sententia media est, fidem diuinam cum scientiâ intuitiuâ eiusdem obiecti coherere non posse; bene tamen cum abstractiuâ. Ita Soar. tom. de fide disput. 3. sect. 9. Coninc. disput. 1. 1. dub. 1. Gasp. Hurt. disput. 2. diff. 9. & 10. & alij.

### Propositio I.

175

Arbitror, fidem diuinam obscuram, qualiter ordinario modo à nobis concipitur, cum aliquâ saltem scientiâ abstractiuâ eiusdem obiecti bene componi posse; atque adeò, quòd quis, facto discursu ex creaturis, sciat euidenter, Deum esse, nihil obstarè, quominus id ipsum per fidem ex diuino testimonio credere possit.

Moueor potissimum: quoniam, qui euidenciam existentiæ Dei nacti sunt, non minus, quàm reliqui, tenentur credere illam fide diuinâ, etiam ex necessitate salutis, dicente Paulo ad Hebræ. 11. *sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Igitur fides diuina de existentiâ Dei cum scientiâ abstractiuâ de eadem compatibilis est. Quòd autem Apostolus hoc loco de fide diuinâ, ac supernaturali loquitur, concors Theologorum sententia est: quia loquitur de fide necessariâ ad placendum Deo, atque adeò ad iustificacionem, & ad salutem; quam debere esse diuinam, ac supernaturalem, vt dogma catholicum traditur communiter à Theologis: quod latè inter alios ex Concilijs, & Patribus probat Valent. 2. 2. disput. 1. quæst. 2. punct. 2. Videatur Trid. sess. 6. cap. 6.

176

Respondet Canus lib. 12. de locis cap. 4. Apostolum agere de fide Dei vt Auctoris supernaturalis: quâ ratione per naturalem scientiam non noscitur: non verò de fide Dei, prout Auctor naturalis est: quo solum pacto Philosophus illius existenciam euidenter assequitur. Sed contra: quia Apostolus absolute postulat, vt necessariam fidem existentiæ Dei. Existencia autem Dei secundum se spectata nihil supernaturalitatis importat. Imo verò, cum præcindat Apostolus existenciam Dei à munere remuneratoris tanquam duo obiecta credibilia, aperte videtur postula-

re fidem existentiæ Dei vt præcisè ab omni munere supernaturali: quo pacto cognoscitur à Philosopho. Et quidem, cum in Deo prius sit esse, quàm posse supernaturaliter operari, ante omnem conceptum auctoris supernaturalis oportet credere existenciam eius, qualiter reuelata est Exod. 3. illis verbis: *Ego sum, qui sum, & scæpe alibi.* Existencia autem Dei præuia ad munia supernaturalia eadem est ex suo conceptu, quam Philosophi euidenter attingunt. Accedit, quòd nomine Dei iuxta communem hominum conceptionem, cui certè Scripturæ Sacræ se accommodant, ens quoddam sublime, & increatum, venit intelligendum, à quo Vniuersum istud sensibile in fieri, in conseruari, & in sua gubernatione dependet, vt tactum est supra quæst. 1. In quo sanè conceptu nihil supernaturalitatis inuoluitur. Igitur existencia Dei, quæ à nobis in Scripturis sacris credenda proponitur, ab omni Dei supernaturalitate præcindit, eademque profus est, quam assequimur per scientiam naturalem. Bene ergo potest diuina fides ipsius existentiæ cum tali scientiâ coherere.

Quæ quidem doctrina inde non parùm confirmatur: quia in Symbolo Apostolorum, & Nizeno omnibus in vniuersum proponitur credendum, Deum esse vnum, esse omnipotentem, esse creatorem cœli, & terræ, & rerum omnium visibilibus, & inuisibilibus. Quos articulos inter alios, quos omnes credere tenemur, numerant Cyrill. Hierol. cathec. 6. Crysost. tom. 5. homil. 2. in Symbolum Apostol. August. lib. de fide, & Symbolo cap. 1. Ruffin. in exposit. Symboli, quæ habetur inter opera Cypriani, & alij Patres, & Theologi. Quod certè frustra fieret, si Philosophi, qui horum articulorum euidenciam habent, eos fide diuinâ non possent credere.

Respondent alij, Philosophos euidenter confcios huiusmodi articulorum debere à se repellere eorum euidenciam noticiam, vt eos possint credere, aut certè credere, quo temporali noticiâ carent, aut ob inconsiderationem, aut ob aliam causam. Addit Granad. etsi isti articuli seorsim credi non possint, posse tamen, & debere credi coniunctos cum alijs non euidencibus, qui reuelati sunt. Sed certè vtrumque horum mediocum valde laboriosum esset Philosophis Christianis: sine labore enim non abicitur noticiâ præsentis obiecti, aut nouum queritur obiectum coniungendum priori. In quo profectò homines docti peioris conditionis essent, quàm rudes: Deinde quis vnquam Christianorum has diligentias adhibuit ad tales articulos credendos, aut se obligatum putauit ad eas adhibendas? Præterea primum dictorum mediocum vix est moraliter possibile: nam, qui semel demonstratiuè cognouit, Deum esse, et si possit id non considerare; si tamen consideret, vt ad id credendum per fidem necessarium est, vix fieri poterit, vt id ipsum non cognoscat euidenter vel per idem medium demonstratiuum, quod statim se offerre, vel per experimentalem memoriâ præterita demonstrationis. Secundum autem medium etiam naturaliter est impossibile, si articulus fidei distinctè, prout oportet, credendus est: nam plura obiecta per vnum actum non possunt à nobis distinctè, & per modum plurium cognosci: sed confusè, & per modum vnius, vt ex Aristot. & S. Tho. in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. conlect. 2. ostendimus.

Fateri autem absolute, vti aliqui fateri vident.

videntur, eos, qui euidenter cognoscunt obiecta reuelata, nequaquam credere illa fide diuinâ, & minus tutum est, ut ex dictis apparet, & alia præterea subit absurda. Primò namque homines docti minus certi essent de existentia Dei, de prouidentia eius, de omnipotentia, de unitate, &c. quàm hominibus ignari, & rudes: quandoquidem hi per fidem diuinam longè certiores scientiâ humanâ; illi uero per solam scientiam humanam hæc omnia cognoscerent. Secundo eadem non certius à Philosophis Christianis, quàm ab Ethnicis cognoscerentur. Tertio B. Virgo, & Apostoli multa, quæ de Christo Domino, & de exordio Christianæ Ecclesiæ nos fide credimus, exordio Christianæ Ecclesiæ nos fide credimus, fide non credidissent; eoque euidenter illa nouerant notitiâ quadam abstractiuâ per sensus hausta. Vnde ea certius à nobis, quàm ab illis cognita fuissent. Quæ omnia absurda sunt, ut patet.

180. Iam uero propositio nostra ab experientia ipsâ præterea uidetur probari. Experimur enim, postquam per effectus euidenter agnouimus, Deum existere, esse unum, esse prouidentem, &c. per reuelationem diuinam earundem veritatum, moueri ad iudicandum eas certius, & firmitus. Ergo signum est, euidentiam naturalem earum, motioni reuelationis non obstare, atque adeo nec fidei diuinæ.

181. Denique ratio à priori eiusdem propositionis est: quia scientia, & fides de eodem obiecto ex nullo capite opponuntur, quominus in eodem intellectu possint coniungi, ut constat ex solutione argumentorum. Omni autem oppositione sublata, non est cur coniungi nequeant, ut constat. De quo uide plura dicta in Pharo. Scient. disput. 4. quæst. 5. Vbi etiam determinauimus, an pariter cum notitiâ intuitiuâ, & uniuersim cum qualibet aliâ euidente fides de eodem obiecto compati possit. De quo non opus est iterum in præsentia tractare.

182. Opponitur tamen contra statutam propositionem primò illud supra commemoratum ex Paulo ad Hebræos 11. *Fides est argumentum non apparentium*. Cui consonant communiter Patres, dum aiunt, ea, quæ uidentur, aut clarè cognoscuntur, non credi, vel quidpiam simile. Respondeo, Apostolum, dum uocat fidem argumentum non apparentium, non negare, posse eam quoque esse argumentum apparentium per alium actum, etsi neget fortasse posse eam esse argumentum apparentium per ipsammet notitiâ per se obscura. In quem sensum Patres etiam solum intendunt, ea, quæ uidentur, aut clarè cognoscuntur, non credi per ipsammet uisionem, aut claram notitiâ: quia fides non clarè, sed obscurè notificat suum obiectum. Circa hanc tamen objectionem uide plura specialius dicta loco citato.

183. Secundò obijciuntur. Fides est obscura. Ergo cum scientiâ euidente eiusdem obiecti in eodem intellectu nequit componi: quia obscuritas, & claritas respectu eiusdem obiecti sunt prædicata opposita. Respondeo, obscuritatem, & claritatem eiusdem actus esse prædicata opposita: actuum uero distinctorum, quorum alter sit clarus, alter obscurus, non esse, unde opponantur.

184. Tertio uigentius obijci potest. Fides composita cum euidentia eiusdem obiecti non potest esse libera. At omnis fides libera, & meritoria esse debet. Ergo nulla fides cum euidentia eiusdem obiecti potest componi. Probatum maior: quia euidentia, etiam actus distincti à fide, nullum

relinquit locum formidandi de ueritate obiecti. Vbi autem non adest formidandi locus, actus intellectus liber esse non potest: quia non est, quod retrahat intellectum ab illo. Respondeo, ut actus intellectus sit liber, satis esse, quòd fundamentum, quo ipse nititur, formidini relinquat locum, quatenus est ex se, et is per accidens præcludatur à fundamento alterius actus eiusdem obiecti comitantis illum priorem. De quo uidentur etiam dicta quæst. illa 5. cit.

185. Quarto obijciuntur. Scientia, & opinio eiusdem obiecti in eodem intellectu coniungi non possunt, sicut nec scientia, & fides humana iuxta doctrinam receptam Arist. lib. 1. Post. text. 44. Ergo neque scientia, & fides diuina. Respondeo, nomine opinionis aut posse intelligi assensum opinatum præcisè sumptum, aut assensum opinatum ut coniuictum cum formidine opposita, quam, dum seorsim concipitur, secum fert. Si secundo modo opinio sumatur, qualiter illam haud dubie sumit Philosophus, uerum est, eam cum scientiâ eiusdem obiecti componi non posse: quia scientia non potest secum talem formidinem aduersam compati. Opinio uero sumpta priori modo, non est, cur nequeat cum scientiâ eiusdem obiecti componi: nec hoc negauit Aristot. Tantumdemque de fide humana dictum est.

186. Denique obijci potest. Motuum fidei, & motuum scientiæ de existentia Dei simul proposita partialiter possunt concurrere ad unum, & eundem actum, qui neque sit fidei, neque scientiæ, sed essentia ueluti mixta iuxta communioem plurium Theologorum sententiam. Ergo intellectus ambobus motibus simul instructus nequit elicere actum fidei simul, & actum scientiæ: sed necessario mixtus ille, seu medius eliciendus erit, Quo fiet, ut Philosophus in promptu habens fundamenta demonstratiua existentia Dei nequaquam possit fide diuinâ credere, Deum esse, Concesso antecedente, neganda est consequentia iuxta doctrinam stabilitam disp. 4. Phari cit. quæst. 6. Quæ ad rem recolenda; sicut & cætera in eadem quæst. 6. & in 5. antecedente scripta, quæ ad expediendam priorem præsentis difficultatem n. 173. propositam facere possint. Accedo iam ad posteriores.

187. Pro cuius resolutione suppono ut certum apud omnes in materia de fide, ad hoc, ut aliquid credi possit fide diuinâ ab ijs omnibus, quibus Deus immediatè non loquitur, notitiâ aliquam humanam reuelationis; humanitatisque acquisite requiri, per externam scilicet prædicationem, seu instructionem, iuxta illud Pauli ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo uero audient sine prædicante?* & infra; *Fides ex auditu*; Quæ quidem notitiâ, utpote fidei humane nitentis ut plurimum testimonio Concionatoris, Parochi, uel Doctoris, non potest non esse fallibilis. In ijs uero, quibus immediatè sit reuelatio, etiam requiritur ipsius reuelationis notitiâ, ut credant, quod eis dicitur reuelari: quia nemo potest quidpiam credere propter Dei testimonium, nisi prænoscat, Deum illud testificari, ut satis per se notum est. Nec sola existentia reuelationis, sed eius etiam infallibilitas, atque adeo auctoritas Dei, à qua prouenit, prænosci debet ad credendum, prænosci que solet ordinariè, non tam aliorum testimonio, quàm ipso lumine rationis: quo certò nobis persuademus, Deum in ijs, quæ testatur, nec posse deci-

pi, nec fallere. Hæc, inquam, apud Theologos certa.

188

Illud tamen sub controuersia est. Vtrum diuina reuelatio non solum per humanam istam notitiam proponi, sed iusuper per fidem diuinam credi debeat, vt ad actum fidei diuinæ rei reuelatæ mouere possit. Affirmant Socr. disput. 3. de fide sect. 12. Valent. 2. 2. disput. 1. quæst. 1. punct. 1. Coninc. disput. 9. dub. 9. Tan. disput. 1. quæst. 1. dub. 4. & alij. Pro negatiua tamen sententiâ stant Gasp. Hurr. disput. 3. de fide, diff. 3. & alij Recentiores, quam etiam plures alij supponunt, qui punctum ex professio non disputant; è quibus videtur esse Turrian. disput. 2. dub. 4.

### Propositio 2.

189

Vt aliquid credatur fide diuinâ, non est necessarium, quod reuelatio eius credatur etiam fide diuinâ aut quoad existentiam, aut quoad infallibilitatem; sed fat est, eam per fidem humanam, aut per aliam naturalem, notitiam proponi.

Probatur primò: quia non omnis reuelatio diuina potest fide diuinâ credi ob aliam reflexam reuelationem, vt Aduersarij consentunt; cum tamen nulla sit reuelatio, ob quam obiectum reuelatum credi non possit. Sed neque potest vlla reuelatio credi propter se ipsam; quasi vnaquæque suapte naturâ sit reuelatio sui, vti prætendunt Aduersarij. Ergo. Probo minorem. Quoniam absque fundamento prorsus asseritur, omnem reuelationem diuinam esse reuelationem sui; imò & contra rationem; nam, cum Deus dicit, se existere, non dicit pariter, se id affirmare; sicut neque nos asserimus, nos dicere, quæcumque loquimur, quoties loquimur. Estò enim loquutio aliqua possit esse loquutio sui simul, & alterius obiecti, de quo modo non curo; negari tamen non potest, esse possibilem loquutionem, quæ non sui, sed solius obiecti extranei loquutio sit; eo quod non ad se ipsam, sed ad solum obiectum significandum sit instituta. Huiusmodi autem censendæ sunt omnes loquutiones tum humanæ, tum diuinæ, quando aliud non constat. Enim verò; quamuis loquutio, qua alter alteri loquitur, se ipsam debeat notificare, siue significare audienti, vt ei obiectum manifestet: quia nequit ducere in cognitionem obiecti, nisi prout cognita. Attamen hæc significatio non est propria loquutionis; quæ talis; sed quædam naturalis insinuatio, qualem exercet quoduis obiectum, quod per speciem à se missam se notificat cognoscenti. Constat enim, dum mihi aliquid dicitis, aliter loquutionem, & aliter eius obiectum mihi innotescere. Obiectum enim credo, sic se habere; quia dicitis; te autem id dicere, non credo, sed euidenter scio; quia audio. Et quidem, si omnis loquutio necessariò loquutio sui esset, multa sequerentur absurda. Primum enim nulla esset possibilis propositio adæquatè falsa: quia quælibet ex parte saltem esset vera, quatenus suam existentiam enunciaret. Deinde propositio negatiua aut esset etiam negatiua respectu sui; & sic non posset non esse falsa: cum non posset non existere, quando suam existentiam negaret; aut esset affirmatiua respectu sui; & sic nulla posset esse propositio adæquatè negatiua: cum omnis negatiua obiecti esset affirmatiua sui. Præterea

superflua essent loquutiones reflexæ, quibus loquens sepe, se loqui, asserat: si enim id ipsum restatur loquutione directâ, ad quid reflexa opus est? Quo fieret, vt multæ loquutiones diuinæ in scripturâ contentæ superuacanea forent. Denique, quicumque non iudicaret, actu se loqui, malitiam incurreret mendacij: quia assereret exterius, quod interius non iudicabat. Postremò, cum loquutio euidentissimè ab audiente noscatur experimentaliter notitiâ, superflua esset testificatio eius à loquente facta per loquutionem ipsam; atque adeò loquutio suapte naturâ superuacaneum aliquid importaret. Quæ omnia planè absurda sunt. Non igitur loquutiones aut humanæ, aut diuinæ sui ipsarum sunt loquutiones naturâ suâ. Proindeque reuelationes diuinæ neququam credi possunt propter se ipsas, tanquam ob testimonia sui. Quod erat probandum.

Secundò, estò possibile esset, quod omnis diuina reuelatio aut per aliam, aut per se ipsam crederetur fide diuinâ; probo id necessarium non esse ad hoc, vt fide etiam diuinâ credatur obiectum reuelatum. Quia ad hoc, vt ego fide humanâ credam, quod Petrus mihi testificatur, non opus est, vt credam pariter, eum id mihi testificari. Ergo neque, vt credam fide diuinâ, quod mihi Deus reuelauit, erit necesse, simili fide credere eius reuelationem. Negant Aduersarij consequentiam; quia, inquit, fides obiecti reuelari non posset esse omnino certa, & infallibilis, qualis debet esse fides diuina, si niteretur reuelationi prout cognita per fidem humanam, aut per aliam naturalem notitiam. Vnde necessarium est, reuelationem fide diuinâ credi omnino certâ, & infallibili, vt simili fide propter reuelationem credatur obiectum reuelatum. Hoc est potissimum, seu potius vnicum fundamentum sententiæ eorum; quod proinde efficacius diluendum est.

Argumentor sic. Fides obiecti nequit per te euadere certa, & infallibilis, si reuelatio non credatur fide diuinâ; quia fides obiecti nititur reuelationi prout iudicatur; nequiret autem infallibiliter niti, nisi illa etiam infallibiliter iudicata esset. Sed fides itidem ipsius reuelationis debet inniti reuelationi prout iudicatur. Ergo, vt ea sit diuina, & infallibilis per aliam fidem diuinam præuiam debet iudicari reuelatio. De qua iterum idem argumentum consuetum; & sic in infinitum. Si autem reuelatio ad fidem sui diuinam, & infallibilem mouere potest prout iudicata fide humanâ fallibili; cur non eodem modo iudicata mouere poterit ad fidem diuinam obiecti? Porro fidem ipsius reuelationis debere ipsi inniti prout iudicatur, est manifestum apud omnes; quia reuelatio non cognita ad nihil mouet; atque adeò reuelationi non iudicatur, nullus actus potest inniti. Asserere autem, reuelationem prout iudicatur ipsâ fide diuinâ mouere intellectum ad eandem fidem, absurdum est. Primò; quia prorsus repugnat, vt obiectum prout cognitum moueat ad eundem omnino actum, quo cognitum est; sicut repugnat, vt eadem cognitio ad se moueat, vel sit motuum sui. Secundò; quia, si fides ipsa diuina, qua reuelatio simul, & obiectum reuelatum creduntur secundum Aduersarios, sufficienter reddit cognitam reuelationem in ordine ad motionem, qua ea prout iudicata ad credendum mouet; sequitur contra omnes Theologos, propositionem externam reuelationis,

nis, & fidem humanam eius ad nihil esse requisitam. Ad id namque solum requiritur secundum omnes, ut nota fiat reuelatio; quo possit ad credendum mouere.

192 Dices, fidem humanam reuelationis requisitam esse: quia fides diuina de illa concipi nequit, nisi præcedat applicata per fidem humanam. Bene. Ergo reuelatio diuina ad fidem tum sui, tum obiecti mouet prout iudicata per fidem humanam. Patet consequentia: quia, nisi ita iudicetur, non poterit mouere per se, & per omnes. Ergo reuelatio prout cognita per fidem humanam fallibilem ad fidem diuinam infallibilem mouere potest. Ergo, ut ad talem fidem moueat, non est necesse, quod credatur fide diuina.

193 Deinde aliter argumentor. Infallibilitas actus fidei ex reuelatione ut infallibili debet oriri. Ergo non solum existentia reuelationis, sed etiam eius infallibilitas ex Dei auctoritate desumpta credenda est fide diuina, ut fide diuina credi possit obiectum reuelatum. Fateatur id, & late probat Soar, supra sect. 6. Estque notissimum in Aduersariorum sententiâ, (licet oppositum videatur supponere Coninc. nu. 56.) Quoniam non minus debet esse certa credenti auctoritas testificantis, quam existentia testimonij, ut firmiter, & cum certitudine credat. Sed auctoritas Dei reuelantis, siue infallibilitas reuelationis eius non potest credi ob ipsam reuelationem. Ergo. Probo hanc minorem: quia, licet reuelatio quauis aliquo colore dici possit reuelatio sui quoad existentiam; eo quod se ipsam notificat quoad an est sine ullo tamen fundamento, vel apparente, dici potest, per quamlibet reuelationem auctoritatem Dei reuelari, siue eius infallibilitatem in testificando. Posito autem, quod per reuelationem non reuelatur diuina auctoritas, compertum est, per illam credi non posse. Asserere autem ad omnem actum fidei diuinæ prærequiri alium nitentem speciali reuelationi de auctoritate Dei infallibili, alienum ab experientia videtur, atque etiam à ratione. Quoniam ad credendum alicui aliunde, quam per eius testimonium debet nobis eius auctoritas, atque veracitas innotescere. Si enim prorsus ignores, an Petrus sit verax, vel mendax, nihil ad credendum illi mouebis ex eo, quod ipse affirmet, se esse veracem, ut supra etiam ponderabamus num. 173. Ergo ad credendum Deo dicenti potius, seu prius nos mouet notitia, quam aliunde habemus veracitatis eius, quam fides eiusdem veracitatis concepta ob eius testimonium. Ergo diuina veracitas, seu infallibilitas in dicendo, non tam prout credita fide diuina, quam prout cognita natura lumine mouet ad fidem infallibilem obiecti reuelati. Ergo ad hanc sufficit naturalis cognitio auctoritatis Dei infallibilis; atque adeo etiam existentia reuelationis.

194 Hinc aliud argumentum ad hominem contra Aduersarios fieri potest. Si infallibilis Dei auctoritas obscure cognoscatur, etsi reuelatio quoad existentiam intuitiue sit cognita, poterit optime obiectum reuelatum credi fide diuina, ut sentit ipse Soar. disput. 3, cit. sect. 8, neque negari potest. Sed cum intuitiua notitia existentia reuelationis nequit eius fides componi, ut plerique Aduersariorum fatentur. Ergo fides diuina obiecti reuelati bene potest subsistere, quin fide etiam diuina credatur reuelatio, stando in ipsorum principijs.

195 Tandem propositio nostra à priori probatur. Quia ad hoc, ut actus fidei diuinæ euadat

omnino certus, & infallibilis, non est necesse, quod diuina reuelatio, cui nititur, pari certitudine, & infallibilitate proposita sit; id enim fieri semper nequit, ut vidimus: sed satis est eam proponi per iudicium moraliter certum. Infallibilitas quippe fidei diuinæ à diuinâ reuelatione non solum prout proposita, sed prout existente etiam re ipsâ, & connotante in intellectu habitum fidei, aut aliud supernaturale principium ducit originem; atque adeo non interest, quod propositio, quæ solum est conditio quædam applicatiua reuelationis, fallibilis sit metaphysicè; dummodò enim sit moraliter certa, & adsit reuera reuelatio proposita, habitusque, aut supernaturale auxilium in intellectu, actus fidei, qui elicetur, supernaturalis erit in sua substantiâ, atque ita essentialiter verus, & consequenter prorsus certus, atque infallibilis metaphysicè. Ex quo patet solutio ad argumentum potissimum sententiæ contrariæ commemoratum num. 190.

Obijciunt tamen præterea hoc modo. Per quemvis actum fidei diuinæ credimus Deo testificantem. Ergo quouis actu fidei diuinæ & obiectum testificatum, & diuinum testimonium attingitur; atque adeo non potest non vtrumque eodem actu credi. Confirmatur, & declaratur: quia obiectum non vtrumque creditur, sed ut reuelatum; nec Deo credimus vtrumque, sed ut reuelanti. Ergo repugnat, non attingi reuelationem eodem actu, quo obiectum ut reuelatum attingitur, & Deo ut reuelanti creditur. Obiectum enim ut reuelatum, & Deus ut reuelans non possunt sine reuelatione cognosci, ut ex se notum est. Respondeo, verum esse, nos per quemvis actum fidei credere Deo ut testificantem: sed hoc nihil est aliud, quam iudicare obiectum testificatum propter diuinum testimonium. Obiectum autem testificatum in meâ sententiâ non aliter indicatur propter Dei testimonium, quam iudicatur obiectum conclusiuis propter obiectum antecedentis prius iudicatum alio actu: existimo enim, fidem per discursum gigni, Quomodo autem obiectum conclusionis propter obiectum antecedentis iudicetur, quin ipsum obiectum antecedentis iudicetur eodem actu; tamen si aliter, quam iudicatiuè, connotetur, seu respiciatur, in Pharo Scient. disput. 2, quæst. 5, explicatum est. Apud eos verò, qui actum fidei non faciunt discursum, etsi testimonium diuinum sit attingendum eodem actu fidei, quo obiectum creditur, tanquam motiuum formale, cui actus nititur; non est tamen iudicandum eodem actu, nedum credendum, sed per actum præuium. Attingi enim ut motiuum, nec est iudicari, nec credi iuxta dicta ibidem. Certum enim est, eodem nos modo credere homini dicenti, ac credimus Deo, ut & Aduersarij fatentur: & tamen ut plurimum, cum homini credimus, quod dicit, nec credimus, nec credere possumus, ipsum id dicere. Ad confirmationem respondeo, per actum fidei non ita credi obiectum prout reuelatum formaliter, ut ipsa quoque reuelatio credatur. Tantum enim creditur id, quod est reuelatum propter reuelationem. Credere autem, quod reuelatur à Deo propter reuelationem, est credere Deo ut reuelanti. prout explicatum est.

197 Ster itaque, ne possibile quidem esse, nedum necessarium, quod omnis actus fidei diuinæ innitatur reuelationi creditæ etiam fide diuinæ.

na. Id quod amplius adhuc potest inde probari: quia necessarium omnino est, ne processus infinitus sequatur, ut in collectione actuum fidei diuinæ aliquis elicitus sit ob reuelationem ut fide humana creditam, aut aliter, quam per diuinam, cognitam. Cum enim omnis actus fidei diuinæ debeat inniti reuelatione ut prius cognitā per alium actum, uti ex se, & ex dictis est notum: si huiusmodi actus semper esset fidei diuinæ, semper supponeret alium fidei etiam diuinæ; quo nunquam perueniremus ad primum, sed sine fine progredieremur. Necessè est ergo, quòd aliquis actus fidei diuinæ sit primus in quolibet serie, qui innitatur reuelatione aliter, quam per fidem diuinam, cognitā, siue indicatā tam quoad existentiam, quam quoad infallibilitatem oriundam ab auctoritate diuinā. Inter iudicia autem humana, quibus noticia reuelationis, atque etiam diuinæ auctoritatis acquiritur, vnum erit etiam primum nullum alium supponens; sed conceptum ex ipsis terminis: quo iudiciorum finitur progressus; uti in reliquis alijs materijs scientiarum, siue cognitionum contingit.

198 His vniuersè prælibatis ex materiā de fide pro expediendā secundā difficultate propositā n. 173. colligo primò, non bene illam expediri à P. Soar. lib. 1. de essentiā, & attrib. cap. 1. n. 5. dicente, Deum, reuelando res credendas, simul reuelare, se reuelare, siue testificari illas, ex quibus vna est, *Deum esse*: atque ita, licet, ut Deus dicat, se esse, re ipsā supponatur esse: quia non loquitur, nisi qui est: attamen ex parte credentis id non supponi cognitum; sed vi eiusdem testimonij, & per eundem assensum credi, Deum esse, & ipsum dicere, se esse. Quam doctrinam late defendit Martinò 1. p. disp. 2. sect. 2. nec longe ab illa ab est Quiros disp. 13. sect. 6. sed non bene, inquam, ita expeditur difficultas: quia neque Deus, reuelando se esse, reuelat se id testificari; neque, licet id reuelaret, sufficienter posset facere fidem, ni aliunde, quam ex ipsius testimonio, eius auctoritas innotesceret. Neque denique homo aliunde non noscens, Deum esse, potest credere, & Deum esse, & ipsum dicere, se esse, adhuc per diuersos assensus, nedam per vnum, & eundem. Quæ omnia ex hæcenus dictis satis, superque nota sunt.

199 Secundò igitur ex eisdem colligo; ad hoc, ut quis credat fide diuinā, Deum esse, omnino esse necessarium, quòd præcognoscat aut fidei humanā, aut aliā notitiā siue humanitatis, siue diuinitatis adquisitā, Deum id ipsum de se dicere, siue testificari; & consequenter, Deum esse; necnon esse eum auctoritatis infallibilis in dicendo, ut neque decipi, neque fallere possit. Neque opus est, quòd huiusmodi præcognitio aut supernaturalis, aut potius infallibilis sit: sufficit enim, quòd sit naturalis, & moraliter certa, ut semel per eam proposito testimonio Dei infallibili reuera existente, homo, alijs instructus principio supernaturali sufficiente ad credendum, fidem supernaturalem nitentem tali testimonio concipiat; quæ subinde vera assentialiter, & potius infallibilis sit. Quocirca S. Tho. 1. p. quæst. 2. art. 2. ad 1. respondens ad eam difficultatem dixit. *Fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile.* Ex quibus omnibus liquidò apparet, quā ratione fide diuinā possit credi existentia Dei, eiusque auctoritas infallibilis; necnon reliquæ huiusmodi ipsius perfe-

ctiones, alijs solo naturæ lumine euidenter noscibiles.

## QUESTIO X.

### In quo consistat essentia Dei.

200 **N**Otissimum apud omnes est, & singillatim demonstrandum in toto hoc Opere, dari in Deo multas, & varias perfectiones, formalitates, seu prædicata, quæ realiter ab ipso Deo non distinguuntur; tamen ratione nostrā, aut etiam plusquam ratione, ut quibusdam placet, distinguuntur; ut esse increatum, æternum, infinitum, immensum, intellectiuum, volitiuum, intelligentem, volentem, sanctum, bonum, omnipotentem, & cætera huiusmodi. Et quoniam Deus, ut ex fide constat, & in peculiari tract. de Trinitate diuina ostendunt Theologi, trinus, & vnus est, ita, ut cum vnitæ essentia trinitate personarum potitur; ideo prædicata in illo reperia alia sunt omnibus tribus personis communia, alia propria aut vniuscuiusque, aut etiam duarum personarum. Communia, quæ ut implurimum, attributa vocantur, ea sunt, quæ recensuimus & cætera similia. Propria personarum sunt personalitates, relationes, origines. Nimirum personæ primæ proprium est, esse ingentiam, seu improductam, generare secundam personam, & esse Patrem eius. Secundæ personæ proprium est, generari à primā; esse eius Filium, & eius Verbum. Harum ambarum proprium est, producere tertiam, quæ dicitur Spiritus Sanctus, cuius propterea proprium est, à Patre, & Filio produci, esseque vniuersum amorem mutuum per modum termini. De quibus omnibus late differitur in dicto tract. de Trinitate. Igitur quod controuertitur in præsentī questione est, an essentia Dei in collectione horum omnium prædicatorum consistat, aut potius in aliquo solum, aut in aliquibus eorum; & quodnam illud sit, vel illa. Multiplex est Doctorum sententia.

201 Prima asserit, essentiam diuinam formaliter omnia attributa Dei comprehendere, in eorumque subinde collectione consistere, siue vltimò per eam constitui. Ita sentiunt Soar. in Metaph. disp. 30. sect. 6. à n. 4. & lib. 1. de Attrib. cap. 11. Egid. Lusitan. tom. 1. de Beat. lib. 5. quæst. 3. art. 3. iunctis, quæ dicit quæst. 4. art. 3. & quæst. 7. art. 1. Zumel 1. par. quæst. 28. art. 2. quæst. suā 8. Arrub. disp. 10. cap. 13. Becan. 1. par. cap. 1. de attrib. quæst. 1. Albiz 1. par. tract. 1. de Scient. sec. 6. Qui n. 13. supponit, se loqui de essentia Dei metaphysicā; cum dicat, quidquid pertinet ad essentiam physicam, etiam pertinere ad metaphysicam, improprietateque, quod ad rem attinet, adferri earum distinctionem, Pro hac sententia refert præterea noster Pasol. 1. par. quæst. 4. art. 2. dubit. 3. Ferrar. Sor. Torres, Hispalens. Francis. à Christo, Toletan. Nazar. Bañez. & alios. Denique P. Didacus Ruiz. tom. de Trinit. disp. 8. sec. 5. eandem tenens sententiam ait. [Naturam diuinam non constituit sola intellectio, sed etiam constituit actualis amor, & collectio cunctorum attributorum, & perfectionum, quæ sunt simpliciter simplices, & nullam inuoluunt imperfectionem]. Verba sunt eius. Id quod conatur late probare, deinceps per plures sectiones. Huic etiam sententiæ adiungi possunt docti quidam Recentiores, qui

qui opinabatur, omnia prædicata diuina virtualiter non distincta à principio radicali intelligendi, & volendi ad essentiam Dei etiam metaphysicam pertinere; secus verò, quæ à tali principio virtualiter distincta sunt; qualiter putabant ipsi distingui tum proprietates personales, tum actus liberos volendi, & intelligendi. Quænam autem formalitates diuinæ virtualiter inter se distinguantur, in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. explicatum est. Pro illâ insuper sententiâ stant Martinon. 1. par. disput. 3. sect. 8. Franc. Amic. disput. 3. sect. 3. & 4. & Quiros disput. 17. sect. 2. & 6.

202 Secunda sententia, eaque non parùm plausibilis docet, vltimum, & formale constitutum essentia Dei adualem intellectionem esse, qua Deus se ipsum intelligit. Hanc sententiam latè defendit Herice 1. par. tract. 1. disput. 3. per totam. Necon Fasol. supra dubit. 7. 8. & 9. cum alijs. Sed omnium latissimè Hemelman. 1. par. titul. 4. disput. 1. per. totam, referens pro illâ cap. 2. doar. Salas, Pesant, Nazar, Machin, Albeid, & alios plures. Aduerto tamen, hos Doctores non dicere, per solam intellectionem constitui essentiam Dei adæquatè, vt videtur sensisse Aureol. in 1. distinct. 35. artic. 3. quodammodoque consentit Arriag. num. seq. citandus, sed per eam constitui essentiam Dei tanquam per vltimum, & quasi differentiale constitutum adiunctum alijs communioribus prædicatis.

203 Tertia sententia est, vltimum, & formale constitutum essentia diuinæ esse solùm prædicatum intellectiui radicalis, prout est radix actualis intellectionis. Ita Albertin. tom. 2. quæst. 14. Theolog. ex prædicamento relationis dubit. 2. diff. 2. Pro qua etiam sententiâ ij omnes recensendi veniunt, qui pro differentiâ vltimâ, & quasi specificâ Dei eius intellectualitatem assignant. E quibus sunt Scot. quodl. 1. artic. 1. Duran. in 2. distinct. 16. num. 5. & 6. Valen. 1. par. disput. 7. quæst. 3. pun. 1. Curiel. controu. 3. concl. vlt. & 1. 2. quæst. 110. artic. 3. dub. 1. & Pererius lib. 4. in Genes. disput. de Imagine Dei quæst. 1. & 4. Ad eandemque sententiam pertinet Arriag. 1. par. disput. 16. lect. 4. quatenus asserit, essentiam Dei ratione nostrâ in principio radicali intelligendi consistere, quod prædicatum, inquit, est *ens spirituale à se subsistens*. Addit tamen disput. 47. sect. 8. sub. 1. (quo sibi viam sternat ad explicandum, cur Verbum diuinum præ Spiritu sancto sit Filius), virtualiter essentiam Dei in solâ intellectione consistere: quia, inquit, ante intellectionem in Deo nihil virtualiter distinctum præcedit, in quo virtualiter eius essentia poni possit; intellectio autem virtualiter distinguitur à volitione, & eam tanquam ipsius radix præcedit; subindeque primum virtuale distinctum est Dei; quod est, esse virtualiter essentiam eius.

204 Quarta sententia simul cum prædicato intellectiui ponit etiam prædicatum volitiui pro vltimâ differentiâ essentia diuinæ. Ita Scot. in 1. distinct. 26. quæst. vnic. sub. finem.

205 Quinta sententia in prædicato entis à se constituit essentiam formalem, & quasi specificam Dei. Ita Bâñez 1. par. quæst. 3. artic. 4. & quæst. 4. artic. 3. Alvarez de auxilijs disput. 119. num. 3. Eñius in 1. distinct. 8. s. 1. fine. Basil. Legion. 1. par. variarum relect. 5. prope finem. Raynaud. in Theolog. natur. distinct. 6. quæst. 1. artic. 2. Recapit. lib. 2. de Deo quæst. 14. cap. 4. & alij.

206 Sexta sententia non vtrunque, sed vt actualiter existens, dicit, prædicatum entis à se neces-

sarij, & interminabilis, seu infiniti constitucere essentiam Dei. Sic Gillius nofter latè explicans 1. par. lib. 2. tract. 1. cap. 12. 13. & 14. & tract. 2. cap. 4. Cui consentiunt Petr. Hurz disput. 20. Met. sect. 2. & Tann. 1. par. disput. 2. quæst. 1. dub. 5. Addit tamen Gillius, ita per esse à se interminatum, seu infinitum constitui Dei essentiam, vt omnia, & singula prædicata Dei, quatenus in suo genere sunt à se, & infinita, sint quasi partes integrantes illius esse à se infiniti, in quo consistit essentia Dei, quodque suo conceptu complectitur omnia, & singula diuina esse. Cuius etiam sententia videtur esse Pascualig. tom. 1. in 1. par. disput. 12.

Septima sententia distinguit inter naturam, & essentiam Dei. & essentiam quidem collocat in prædicato entis à se, per se, & propter se; naturam verò in intellectione actuali sui.

208 Octaua sententia est, diuinam essentiam formaliter per infinitatem constitui. Sic docent Argentin. in Prolog. sent. quæst. 1. Toletan. quæst. 6. Quibus annuere videtur Scot. in 1. distinct. 3. quæst. 2. post medium.

209 Nona sententia dicit, essentiam diuinam consistere in esse absoluto purissimo, quod est fundamentum omnium attributorum. Ita Henr. 1. par. Sum. artic. 24. quæst. 5. & artic. 33. quæst. 2. Consentit Gran. 1. par. controu. 2. tract. 1. disput. 3. sect. 4. constituens essentiam diuinam in conceptu formalissimo radice omnium attributorum. Consentunt & alij, quos tacito nomine refert Hemel. supra cap. 2. num. 12. nisi, quod hi non conceptum simplicem faciunt radicem istam, sed compositum ex tot radicibus partialibus, quot sunt attributa diuina. Pro hac etiam sententiâ videntur stare Vazq. 1. par. disput. 119. & alij, qui absolute supponunt, essentiam Dei conceptum, quemdam esse præcipium ad omnia diuina attributa.

Propositio 1.

Essentia, Substantia, & Natura pro eodem conceptu debent accipi in Deo iuxta communem loquendi morem Conciliorum, Patrum, & Theologorum.

Etenim Concilia, Patres, & Theologi indifferenter vtrunque istis nominibus, atque ad eundem conceptum ab eis per illa significari, cum sermonem habent de Deo. Sic namque in 5. Synodo generali collat. 8. can. 1. habetur. *Si quis non confitetur Patris, & Filij, & spiritus sancti vnâ naturam, siue substantiam, anathematizetur.* Et Agatho Papa in suâ epistola decretali col. 3. quæ habetur in 6. Synodo generali actione 4. loquens de tribus diuinis personis ait, *Vt confitentes vnus esse Deitatis, vnus natura, & substantia, siue essentia.* Similiter Concilium Lateranense sub Innocen. III. ita scribit, prout habetur cap. *Firmiter* de vltima Trinitate, & fide catholica. *Tres quidem persona, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino.* Et paulo post cap. *Damianus.* *Substantia, essentia, siue natura diuina.* Item Concilium Tolet. 6. cap. 1. & Tolet. 11. in confessione fidei loquens de Deitate sic ait. *Natura, vel substantia.* Et infra. *Natura diuinitatis eius, siue substantia.* Posteaque etiam essentiam appellat naturam. Quo etiam loquendi modo vtitur Eugen. IV. in litteris vnionis, quæ habent.

habentur in Concilio Florentino, Necnon Concilium Calcedonense, & Ephesinum, quando agunt de duabus Christi naturis.

211 Consentunt communiter Patres, quorum plerique agentes de Deitate indifferenter, & synonymè pro eodem usurpant hæc vocabula, *essentia, natura, substantia, forma*; vt videre est in Dionysio, Athanasio, Basilio, Nyseno, Nazianzeno, Maximo, Cyrillo, Augustino, Anselmo, Hilario, & alijs. Nonnulli etiam, non solùm expressè asseuerant, idem illa significare, sed interdum testantur insuper, à Sanctis Patribus pro eodem omnino usurpari. Audiamus aliquot huiuscemodi testimonia. Athanas. lib. de definitionibus colum. 3. ait, *Natura, essentia, genus, & forma idem sunt*. Theodoret. in additionibus ad Breuiarium Liberati tom. 2. Concil. sic inquit, *Natura, & substantia in nullo differunt, nisi in nomine*. Damasc. lib. de decretis primæ institutionis sic incipit cap. 1. *Essentia, natura, & forma, vt Sanctis Patribus placet, idem valent*. Euthim. in Panopoliat. 7. sub finem pag. 144. ait, *Essentia, seu, quod idem est, natura.* & tit. 2. pag. 59. *Essentia, & natura, & genus, & species, & forma ex Patrum sententiâ idem sunt in Deo*. Elias Cretenf. in illam orationem Nazianzeni, quæ est prima epistola ad Celedonium, pag. penult. dicit. *Inter naturam, & essentiam, & formam, nullum apud Ecclesiam discrimen est. Quid plura?*

212 Iam verò Theologos Scholasticos in eadem sententiâ esse, nemo dubitabit, qui eos attentè legerit in materiâ de Trinitate, & alijs in locis, vbi de diuinâ substantiâ, naturâ, aut essentiâ fit sermo. Quare non est, cur eorum aliquem in speciali referamus.

213 Quæ cum ita sint. Colligo primò, peperam Auctores, sententiâ septimæ supra relatâ inter naturam, & essentiam diuinam commentitiâ distinctionem, seu diuisionem excogitasse, vt naturam alteri Dei prædicato, & essentiam alteri adscriberent cum eidem prorsus, vel eidem adscribi debeant secundum irrefragabilem sensum Ecclesiæ, Patrum, & Theologorum.

214 Secundò colligo, essentiam Dei in eo omnino conceptu debere constitui, de quo dici quodque possit esse naturam Dei, quâ maiore proprietate fuerit possibile: quia verba commemorata Conciliorum, & Patrum, quibus essentia diuina asseritur, aut supponitur, esse idem cum diuinâ naturâ, quantâ potuerint cum proprietate sunt accipiendâ; cum doctrinalia sint, vt constat. Cumque ea sit propriissima omnium acceptio naturâ, quâ sumitur pro principio motus, & quietis, iuxta definitionem datam ab Aristot. lib. 2. Physic. cap. 1. & lib. 5. Metaph. cap. 4. Constituitur, essentiam, & naturam diuinam in eo conceptu poni debere, qui sit aliqua ratione principium, aut radix, siue subiectum actuum Dei: nam actus ex proprio conceptu instat cuiusdam motus esse videtur; cum sit instat cuiusdam exercitij, quo subiectum, cuius est actus, exerceri à nobis concipitur, iuxta doctrinam vniuersalem datam in Pharo Scient. disp. 8. quæst. 1.

Quo iure S. Tho. dixit 1. par. quæst. 39. art. 1. quod 2. ad 2. *Natura designat principium actus: essentia vero ab essendo dicitur.*

## Propositio 2.

215 *Essentia physica Dei considerati philosophicè omnia eius prædicata intrinsecâ, tam communia, quàm personalia complectitur in suo conceptu. Essentia verò quasi physica Dei considerati theologicè, (quam absolutè essentiam theologicam distinctionis gratiâ dicemus), sola complectitur prædicata communia.*

Quemadmodum homo bifariam venit considerandus. Primo, in quantum est quædam substantia, seu natura realis ex corpore, & animâ compacta. Secundò, in quantum est suppositum ex tali naturâ, ex propriâque hypostasi, seu personalitate coalescens. Ita pariter Deus & potest considerari, vt est realis quædam substantia increata, infinita, cunctorum effectrix, & alijs innumeris perfectionibus scatus; & potest considerari, vt est trinus, & vnus, constansque vt sic tribus suppositis, seu tribus personis cum vnica, eademque naturâ ipsis communi. Ex quibus duabus considerationibus prior philosophica, posterior theologica iure optimo dici potest, quatenus Philosophi solo naturali lumine imbuti nec de homine possunt assequi, quòd sit suppositum addens hyposthasm quædam, seu personalitatem supra naturam; nec de Deo, quòd sit trinus, subindeque veluti addens supra naturam tres personalitates distinctas, seu tres hyposthases; quemadmodum per lumen fidei Theologi assequuti sunt. En duplex genus considerandi Deum, quod propositio data supponit. Loquor autem in eâ de essentiâ physica Dei, quæ simpliciter, & absolutè dicitur talis; qualis est realis formalis. De illâ enim, quæ æquiualeter solùm, & virtualiter essentia physica Dei appellari potest propositio sequens agam cum eâ, quæ par est, restrictiõne. His positis.

216 Probo priorem propositiõnis partem: quia, vt constat ex vniuersali doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 2. essentiam rei physicam appellamus, quæ amplectitur quidquid realiter est ipsa res. Ast Deus aliud non est realiter ab aggregato coalescente ex omnibus suis prædicatis intrinsecis tam personalibus, quàm communibus, sed prorsus, & adæquatè idem cum illo, vt constat. Igitur essentia physica Dei considerati philosophicè, conceptu videlicet ipsi adæquatè amplectente, prout physicè se habet à parte rei, omnia eius prædicata intrinsecâ tam personalia, quàm communia amplectatur, necesse est. Et confirmari potest, ac declarari: quia, in sensu physico, & reali verissima est hæc propositio *Deus est tota sua physica entitas*, acceptis directè, & ex æquo ex parte prædicati, & subiecti omnibus formalitatibus intrinsecis, quæ illa habet. Sed id, quod vnumquodque directè est in sensu physico, non potest non esse essentia physica eius, vt constat ex doctrinâ traditâ quæst. citatâ. Ergo entitas hæc diuina directè quodam, & confuso conceptu quoad omnia, quæ re ipsâ habet directè comprehensa à Philosopho ipsissima est essentia physica Dei. Quod certè, semel terminis intellectis, à nemine negari potest. Est autem hic sermo, vt apparet, de essentia physica per se, quæ absolutè dicitur talis; non de essentia physica per accidens, quæ improprie, & secundum quid vocatur essentia, nec

in præsentia locum habet. Recognosce hanc essentiarum divisionem fuscè datam in quæst. citatâ Phari.

217 **Iam** verò posterior pars propositionis probatur primò quasi à priori: quoniam, quicumque concipit Deum theologice, conceptâ videlicet distinctè trinitate eius, & unitate, non potest non concipere personas diuinas veluti physice compactas ex personalitatibus proprijs, & ex naturâ illis communi ad eum modum, quo personæ creatæ physice composiæ sunt ex propria vnuscuuiusque personalitate, & naturâ. Nam licet personalitates diuinæ re ipsâ non distinguantur à naturâ, vtj distinguuntur creatæ, nisi vt summum æquiualeuter, seu virtualiter iuxta doctrinam datam in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. At per rationem nostram non possunt non ita distinguui, vt ex singulis earum, & ex naturâ communis communi diuersa coalescant supposita ad eum modum, quo supposita creatæ coalescunt ex substantiâ, & ex substantiâ. Quo fit, vt, sicut in creatis id, quod per substantiam completur ad constituendum suppositum, nihilo differt à substantiâ, naturâ, seu essentiâ physica rei, vt constat. Ita in Deo id totum, quod commune est, & per diuinas hypostases quasi completur, determinaturque ad constituendas personas, iure dicitur essentia, natura, siue substantiâ Dei; eaque non metaphysica, sed quasi physica, seu theologica; cum physica sit, theologicaque etiam possit dici creatâ, cui assimilatur.

218 **Secundò** probatur id ipsum: quia iste modus loquendi, vocandique absolute naturam, & essentiam Dei non vnâ, aut alteram formalitatem, sed totum id, quod est commune tribus personis, à solisque proinde personalitatibus condistinctum, vltimissimum est apud omnes Patres, & Theologos, imò apud omnes Christianos, qui confitentur, Deum trinum esse in personis, & vnum in essentiâ, sumptâ essentiâ pro toto eo, quod est vnum in Deo, & tribus personis commune. Possit id sanè innumeris Patrum, & Theologorum testimonijs probari: sed sufficiat vnum pro omnibus Iustiniani Imperatoris, qui in suo Edicto fidei, quod habetur in 2. tom. Concil. pag. 654. ante Synodum 5. generalem, quæ est Constantinopolitana 2. ita fatetur col. 10. *Omnes enim sancti Patres consonanter docent, aliud esse naturam, siue substantiam, & formam, & aliud substantiam, siue personam: & naturam quidem, vel substantiam, & formam hoc, quod est commune, significare, substantiam autem, siue personam hoc, quod est speciale.* Loqui autem Patres, & Theologos de naturâ, & essentiâ Dei non metaphysicâ, sed quasi physica, quam theologice dicimus, inde profectò constat: quia plurimi eorum expresse ponunt essentiam metaphysicam Dei in vno, vel altero ex prædicatis Dei communibus, vt ex dictis, & dicendis patebit, non verò in omnium aggregato; quod tamen absolute nuncupant essentiam, & naturam Dei. Tum, quia in huiusmodi appellatione non accipiunt essentiam vt quid condistinctum ab attributis, seu proprietatibus, quod proprium est essentiæ metaphysicæ; sed vt quid condistinctum ab hypostasi, vel personalitate, quod est proprium essentiæ theologicæ.

219 **Ex dictis** apparet, quo sensu sit vera prima sententia relata n. 201. Nimirum, si in eâ sit sermo de essentiâ physica Dei theologice considerati, vt explicauimus, & collectione attributorum

toti Trinitati communium. Cæterum, quia plerique Auctores eius sententiæ de metaphysicâ potius essentiâ Dei loqui videntur; idcirco eorum sententia falsa debet reputari, vt ex dicendis apparebit.

Propositio 3.

**Si** quæ earum formalitatum, quæ de Deo prædicantur, ab ipso Deo virtualiter in suo esse distinctæ sunt, eæ quidem ad essentiam Dei physicam virtualem intrinsecè non pertinent. Pertinent tamen cæteræ omnes, quæ virtualiter à Deo non sunt distinctæ.

**Ratio** est in promptu: quia, quod præstat distinctio vera, & formalis in ordine ad essentiam physicam, quæ verè, & formaliter talis est, id debet præstare distinctio æquiualeuter, seu virtualis in ordine ad essentiam physicam, quæ æquiualeuter, & virtualiter talis est. Atque ita, sicut essentia physica Dei realis virtualis prorsus excludit à suo conceptu, quæcumque realiter formaliter distinguuntur à Deo, includit tamen in illo, quæcumque sunt idem cum Deo realiter formaliter iuxta doctrinam propos. præced. Pariter essentia physica Dei realis virtualis omnia, quæ à Deo realiter virtualiter distincta sunt, à suo conceptu debet excludere, includere verò in illo, quæcumque non solum realiter formaliter, sed etiam realiter virtualiter sunt identificata cum Deo. Prædicata enim Dei virtualiter ab ipso distincta extrinsecè eius affectiones sunt virtualiter; sicut prædicata cuiusvis entis ab ipso formaliter distincta affectiones eius extrinsecè sunt formaliter.

**Hinc** colligo primò, prædicata, quæ realiter virtualiter distinguuntur à Deo, nequaquam includi posse in essentiâ metaphysicâ eius: quia hæc, vt ex dicendis planè constabit, plura, quam physica, excludit à suo conceptu. Si quæ autem alia, ea maxime debet excludere, quæ vel à suo etiam quadamtenus excludit physica.

**Secundò** colligo contra Recentiores commentatos n. 201. essentiam, quæ ex omnibus formalitatibus à Deo virtualiter non distinctis coalescit, nequaquam posse esse essentiam metaphysicam Dei, sed summam physicam, eamque, non quæ verè, & formaliter, sed quæ æquiualeuter tantum, & virtualiter dicitur talis. Essentia quippe Dei metaphysica non solum prædicata distincta à Deo virtualiter, sed indistincta etiam excludit à suo conceptu, vt ex dicendis in sequentibus apparebit.

**Tertiò** colligo contra Arriag. cit. n. 203. 223 casu, quod ante intellectiōnem Dei actualement nihil virtualiter distinctum præcedat, eaque subinde cum anterioribus omnibus Dei prædicatis omnino identificata sit, quantumuis à volitione, & personalitatibus virtualiter distinguatur, vt supponit Arriaga, nequaquam in illâ solâ posse consistere essentiam virtualem Dei. Quia essentia virtualis Dei à nostris conceptibus, & præcisionibus independens, prout de eâ loquitur Arriaga, ipsissima est essentia Dei physica virtualis, de qua nos in propositione. Hæc autem, vt constat ex dictis, cuncta in se claudit, quæ formaliter, & virtualiter sunt indistincta à Deo, eaque dumtaxat excludit, quæ ab ipso virtualiter distinguuntur. Vnde

de supposito, quòd sola volitio, & personalitates virtualiter sint distinctæ à reliquâ substantiâ Dei, sicut Arriaga supponit, non potest non dicta essentia Dei virtualis, exceptis solum personalitatibus, & volitione, in collectione reliquarum omnium formalitatum Dei consistere; cuius subinde intellectio non quidem vnicum, sed quasi vltimum, & differentiale constitutum sit; vti philosophantur auctores secundæ sententiæ. A quibus solum potest dissidere Arriaga, quòd faciat intellectionem Dei virtuale constitutum essentia eius, quam, illi putant, esse formale, quòdque reuerà de essentia physica Dei loquatur; cum illi de metaphysicâ se tractare prætant, Quomodo autem neutri per huiuscemodi essentia Dei constitutionem consequantur intentum, quod est, discriminare generationem Verbi diuini à productione Spiritus sancti, ex dicendis infra patebit. Adde, falsam esse suppositionem, qua innuitur doctrina Arriagæ, quòd atinet ad identitatem, quam adstruit tam virtuale, quam formalem intellectionis Dei cum intellectu diuino, reliquisque formalitatibus anterioribus, vt ostendam tract. de Scientiâ Dei.

224 Aduerto tandem, consulto me exclusisse in propositione ab essentia physica Dei virtuali eas solum formalitates, quæ à Deo ipso in suo esse virtualiter distinctæ sunt. Formalitates enim, quæ non in ordine ad suum esse, sed in ordine ad aliud munus sunt virtualiter distinctæ à reliquâ substantiâ Dei, melius dicentur, non exclusæ ab essentia Dei physica virtuali: quia hæc potius in ordine ad esse talium formalitatum, quam in ordine ad alia munia pensanda est: nisi quis velit, eam etiam in ordine ad talia munia pensare, cum quo non est altercandum: quia cõfidium erit de nomine. Quænam autem formalitates diuina à reliquâ substantiâ Dei sint virtualiter distinctæ in ordine ad aliqua munia aliquo modo ab ipsis diuersa, & quænam in ordine ad suum esse; & an hoc duplex genus formalitatum reperitur in Deo, ex didis in Pharo disp. 13. quæst. 6. colligi potest.

#### Propositio 4.

225 Essentia metaphysica Dei non potest consistere in aggregato omnium attributorum; & multo minus in aggregato omnium perfectionum, quæ in Deo sunt simpliciter simplices, & nullam inuoluunt imperfectionem.

Hæc pars posterior propositionis videtur manifesta contra Ruiz citatum num. 201. Quia nemo hæctenus asseruit, nec turò dici potest, personalitates diuinas intrinsicè spectare ad essentiam Dei metaphysicam: eo quòd essentia Dei metaphysica nequiquam potest non esse toti Trinitati communis; qualis non esset, si in suo conceptu personalitates includeret. Includeret autem, si ea consisteret in aggregato omnium perfectionum, quæ in Deo sunt simpliciter simplices, & nullam inuoluunt imperfectionem: è quarum numero sunt personalitates diuina: quia vel perfectiones sunt simpliciter simplices, vt opinatur, & multis probat ipse Ruiz. disput. 30. de Trinit. sect. 9. & 10. vel saltem nullam imperfectionem inuoluunt, vt omnes fatentur. Non igitur in aggregato huiuscemodi perfectionum potest vilo modo consistere essentia metaphysica Dei.

Quod autem neque in aggregato attributorum communium consistere queat, probatur primò: quia, vt constat ex vniuersali doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 2. essentia metaphysica cuiusque rei conceptus est cõdistinctus à proprietatibus, & accidentibus metaphysicis ipsius rei. Sed attributa diuina proprietates quædam sunt, aut accidentia metaphysica Dei, vt ipsam nomen præ se fert: ideo enim attributa Dei appellantur; quia Deo iam constituto in suo esse metaphysico attribuantur, vt amplius ex dicendis contabit. Igitur essentia metaphysica Dei nequit vllum proprium Dei attributum, nedum omnia, includere in suo conceptu. Secundo: quia nulla est essentia metaphysica, quam metaphysicæ proprietates non consequantur, vt est certissimum, & amplius constabit ex dicendis. Sed, si essentia metaphysica Dei completeretur omnia attributa, nulla proprietas metaphysica ad eam sequenda superesset. Ergo: Tertio: essentia metaphysica Dei omnia diuina attributa excludit à suo conceptu; cum sit eorum omnium radicale subiectum, vt ostendemus proposit. 6. Ergo longè abest, vt omnia attributa in suo ipso conceptu claudat.

Porro attributa diuina extra conceptum esse essentia, communis Patrum sententia est. Qui per nomina, quæ de Deo dicuntur, qualia sunt nomina attributorum; non eius essentiam, sed, quæ circa ipsam sunt, significari affirmant. Nysen. lib. de Trinit. ad Eutachium sub fine ait, *Requitur aliquid aliud essentia, cuius nondum ratio index cogitata, atque inuenta est, alia verò nomen, quæ circa eam proferuntur.* & lib. seq. ad Ablaium, *Ex hoc itaque demonstratur, quòd non ipsa diuina natura per aliquod eorum nomen denotetur.* Nizetas in orat. 42. Nazianz. *Quamobrem, inquit, existimandum est, vnumquodque eorum, quæ de Deo numerantur, non quòd sit quantum ad essentiam indicare, verum aut quòd non sit ostendere, aut relationem quamdam ad aliquid eorum, aut denique quidpiam eorum, quæ naturam, vel actionem imitantur.* Cyril. lib. 11. Thefav. cap. vnic. prope finem ait, *Nulla de Deo nomina feruntur, quorum singula, non, quòd Deus substantialiter sit, significant, sed aut quæ non sit, aut relationem, &c. & ita cum, Sed hæc omnia non substantiam, vt diximus, Sed aliquid eorum, quæ in substantiâ inspicuntur, significant.* Si ergo per ista nomina, & significationes ipsorum ad cognitionem Dei nos ducimur, quomodo essentiam eius cognoscemus, si non quid est essentialiter docemur, sed sola ea, quæ in ipso inspicuntur, perdiscimus? Idem Cyrilus apud Cypariot. decad. 10. cap. 2. sic habet, *Non enim est substantia Dei ingentium, aut incorruptibile, aut immortale, aut inaspectabile.* Nam, si vnumquodque horum substantiam significat, ex tot substantiis compositus erit Deus, quot sunt ista, quæ reperiuntur conuenire illi naturaliter, Vnde concludit, essentiam Dei in simplicissimo conceptu consistere. Similia habent Nazianz. orat. 33. post med. & Max. apud Euthan. Panop. par. 1. tit. 3. pag. 76. Damasc. lib. 1. fidei cap. 4. ait, *Quacunque autem per Theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam, insinuant.* Nam, *etsi bonum, si iustum, si sapiens, si quidquam tandem aliud dixeris, non naturam dicit Dei, sed, quæ circa naturam.* Similiaque repetit postea cap. 12. Basil. 1. contra Eunomium ante medium col. 11. dicit, *Quo pacto non irridendus sit, si creandi virtus*

virtutem substantiam esse dicat, si providentiam  
 rursus substantiam, eodem modo præscientiam, &  
 omnem item operationem substantiam putet? Rur-  
 sus verò col. 12. & seqq. latè demonstrat, nullum  
 eorum nominum, quæ de Deo dicuntur aut ne-  
 gative, vt esse immortalè, inuisibilem, inna-  
 scibilem, &c. aut positive, vt esse bonum, iu-  
 stum, prouidum, & similia significare substan-  
 tiam, seu essentiam Dei; sed priora quidem,  
 quid Deus non sit, posteriora, quænam eius sub-  
 stantiæ insint, vel circa ipsam sint. Theophil. in  
 id ad Rom. 1. Inuisibilia Dei, &c. scribit, sunt  
 circa essentiam bonitas, sapientia, virtus, potentia.  
 Circa. Ergo non intra. Adde Chrys. homil. 3.  
 de incomprehensibili Dei naturâ dicentem, Non  
 sapientia substantia est, sed ex substantiâ sapientia.  
 Hæc satis ad rem. Mitto alia, quæ videri possunt  
 in Nazianz. orat. 35, 36, 38, & 42. Dionys. de diuin.  
 nomi. cap. 1. Cyril. supra, & lib. de S. Trinit.  
 cap. 3. & 11. Athan. dial. 2. de Trinit. circa finem.  
 Iust. in respons. quæst. 3. ad Gentiles. Basil. supra,  
 & epist. 80. Nylen. orat. Quod non sunt tres Dy.  
 Mar. Victorin. lib. 2. aduersus Arium multo post  
 med. in tom. 4. Biblioth. & alijs Patribus vniuersali-  
 ter asserentibus, per omnia, quæ de Deo dicun-  
 tur, non Dei naturam, sed ea, quæ sunt circa  
 naturam, significari.

228 Obijcit tamen primò pro se Ruiz, vbi supra  
 verba illa Exod. 3. Ego sum, qui sum, ait. Sic di-  
 ces filijs Israel. Qui est, misit me ad vos, & Job. 23.  
 Ipse solus est. & Ioan. 8. Ego sum, & cap. 13.  
 Vt credatis, quia ego sum. Quibus putat signifi-  
 cari iuxta expositionem multorum Patrum, quos  
 ibi congerit, Deum, quiditatiuè, & essentialiter  
 comprehendere totum esse adeo, vt eius essentia  
 complectatur, quidquid ita habet esse, vt non  
 habeat admixtum non esse; seu, quod aliter di-  
 ci solet, quidquid est perfectio simpliciter sim-  
 plex, cuius esse melius est, quàm non esse. Ver-  
 ùm aliena esse ab isto sensu verba scripturæ, in-  
 de profectò apparet: quia secundum illum etiam  
 personalitates diuinas complecteretur essentia  
 metaphysica Dei. Quod est absurdum, vt pon-  
 derauimus. Nec Patres in tali sensu prædicata  
 verba accipiunt, cum dicunt, Deum esse suas  
 omnes perfectiones, aut comprehendere in se  
 quidquid est, aut aliquid simile. His enim lo-  
 quutionibus tantum intendunt adstruere identi-  
 tatem realem, quam Deus habet cum suis intrin-  
 secis prædicatis, non curantes pro tunc de assi-  
 gnando conceptu essentia metaphysicæ eius.  
 Vide testimonia Patrum latè, & singillatim  
 explicata ab Hemelman, tit. 4. disput. 3. cap. 3. & 4.

229 Secundo argumentatur Ruiz multis rationi-  
 bus, & auctoritatibus. Sed quibus potissimum  
 intendit contra Recentiores, quos impugnat,  
 essentiam Dei non magis in intellectu æquali,  
 quàm in volitione, aut alijs Dei prædicatis po-  
 nendam esse. Ob id ea pro nunc omitto. Illud  
 solum videtur facere contra præsentem propo-  
 sitionem, quod assert dictum de Christo Domino  
 ad Colos. 2. Quia in ipso habitat omnis plenitudo  
 diuinitatis. Eo enim Athanas. cont. Gregales Sa-  
 belij post medium, & Ambros. de fide ad Gra-  
 tianum cap. 6. sine vtuntur, vt probeat, esse in  
 Christo omnes diuinas perfectiones. Quo viden-  
 tur significare, diuinitatem, atque adeo essentiam  
 metaphysicam Dei comprehendere suo conceptu  
 omnes perfectiones diuinas. Sed certè id Patres  
 non significant. Sat enim est ad suum intentum,  
 quod essentia metaphysica Dei sit radix adse-

rens secum necessariò omnes diuinas perfectio-  
 nes, quodque diuinitas physice sumpta cum  
 huiusmodi perfectionibus sit à parte rei prout  
 sus idem.

230 Tertiò plures alij obijciuntur Patres vniuer-  
 saliter asserentes, quidquid prædicatur de Deo,  
 essentialiter, & in quid prædicari, non verò ac-  
 cidentaliter, & in quale. Tum, bonitatem, sa-  
 pientiam, iustitiam, & cetera huiusmodi attri-  
 buta ab essentia Dei non distingui, aut extra  
 substantiam eius non esse; & alia similia. Ergo  
 sentiunt, essentiam metaphysicam Dei ex aggrega-  
 to omnium attributorum coalescere. Nego  
 consequentiam: quia Patres eis locutionibus non  
 agunt de essentia metaphysicâ. Tantummodò  
 enim intendunt, attributa diuina non esse ac-  
 cidentia physice, & à parte rei superaddita diu-  
 inæ substantiæ, aut à diuinâ essentia distincta,  
 sed physice, & realiter esse ipsam essentiam,  
 atque substantiam Dei. Vide horum Patrum tes-  
 timonia proposita, expositaque à Fasol, supra  
 dubit. 5.

231 Quarto argui potest ex Agidio. Illud est  
 vltimum constitutum alicuius naturæ, quod  
 est illi essentialiter, & vltimò superadditum reliquis  
 prædicatis essentialibus communioribus. Sed  
 omnia, & singula attributa essentialia sunt natu-  
 ræ diuinæ, & vltimò superaddita illis prædicatis,  
 substantia, viuens, intellectualis, completa,  
 quæ sunt communia Deo cum Angelo, & homi-  
 ne. Ergo omnia, & singula attributa vltimum  
 sunt constitutum essentia diuinæ. Confirmat-  
 ur: quia id est constitutum formale naturæ  
 diuinæ, quo ipsa redditur summum bonum om-  
 nium honorum aggregatione perfectum. Sed sine  
 aggregato omnium attributorum talis non erit.  
 Ergo. Propter hoc argumentum, si quid proba-  
 ret, etiam personalitates diuinæ dicendæ essent  
 pertinere ad essentiam. Quod tamen dici non  
 potest, vt iam notauimus. Nihil ergo probat,  
 Respondeo ergo, negando imprimis essentiam  
 metaphysicam rei constitui per prædicata specia-  
 lia adiuncta communibus; tametsi per illa expli-  
 cetur. Consistit enim in subiecto radicali om-  
 nium prædicatorum, vt constat ex generali do-  
 ctrinâ datâ in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 2. ite-  
 rumque tradendâ postmodum. Sed estò, consti-  
 tuatur essentia metaphysica rei per aliquod præ-  
 dicatum speciale adiunctum communibus. Cer-  
 tè per omnia specialia nequit constitui: Nam  
 præter primum, quod vicem gerit differentia,  
 cetera proprietates sunt, quæ consequuntur ad  
 essentiam iuxta dicta etiam in Pharo Scient. di-  
 sput. 17. & 27. Ex quo patet, illud dumtaxat at-  
 tributum, quo primo Deus à reliquis entibus  
 discriminarur, posse appellari vt summam diffe-  
 rentiam vltimò constitutiuiam diuinæ essentia;  
 non item reliqua, quæ ad id sequuntur, & vicem  
 gerunt proprietatum. Vtrum autem hæc essen-  
 tialia Deo dici possint, vel secus; quæstio erit  
 de nomine. Ego arbitror, etsi essentialia dici  
 possent veluti extrinsecè, quatenus necessariò  
 consequuntur essentiam, tatiùs fore, quod non  
 dicantur essentialia, sed necessaria essentia; ne  
 confundantur cum prædicatis, quæ intrinsecè  
 constituunt essentiam, & cum proprietate dicuntur  
 prædicata essentialia iuxta doctrinam latè traditam  
 etiam in Pharo Scient. disput. 17. Ad confirmatio-  
 nem respondeo, essentiam metaphysicam Dei ea-  
 tenus esse summum bonum, quatenus radicaliter,  
 & eminenter continet cuncta bona, vel illa secum  
 fert



fert necessariò; non quia contineat illa formaliter. De quo plura dicemus infra, vbi de bonitate Dei.

232 Quintò ex alijs obijcitur. Essentia diuina non potest non includere in suo conceptu formali diuina attributa. Igitur coalescit ex illis. Imprimis nego antecedens. De quo disput. 2. Deinde distingo illud cum Auctoribus, qui mutuum inclusionem formalem admittunt inter essentiam, & attributa. Essentia diuina non potest non includere in suo conceptu formali diuina attributa implicite; concedo; explicitè; nego. Et nego consequentiam. Distinctio enim rationis penes explicitos conceptus, quæ facta est secundum Auctores dicta inclusionis ad hoc, vt attributa diuina sint inter se formaliter diuersa, facta quoque erit, vt essentia sit itidem diuersa formalitas ab attributis, ac veluti radix eorum, vt idem Auctores fatentur. Videantur Gran. & alij loco citato referendi.

233 Sextò obijcitur. Deus est ens per essentiam, & per se. At talis non esset, sed ens per participationem, & per accidens, si esset iustus, bonus, omnipotens, &c. per iustitiam, bonitatem, omnipotentiam intrinsecè non includam in sua essentia, sed illi extrinsecus adiacentem. Ergo. Et confirmatur: quia in Deo nullum accidens esse potest. Essentia autem per plura, si iustitia, bonitas, omnipotentia, & similes formalitates non constituerent ipsius essentiam, sed ei accederent, siue, quod idem est, accederent. Respondeo ad vtrumque, accidentia metaphysica, quæ solum per rationem nostram sunt talia, non esse cur negentur Deo: quin imò ei negari non possunt; cum certum sit, proprietates personales extra essentiam diuinam esse; eique subinde veluti accidere, siue accrescere. Deo namque non magis repugnat accidens, quam compositio ex partibus: atque adeò, quemadmodum compositio metaphysica, seu per rationem nostram, non est ab illo aliena, licet aliena sit physica; ita accidentia metaphysica non erunt ab ipso aliena, licet aliena sint physica. De quo plura sunt dicta in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 8. Vnde, licet Deus non possit non esse ens per essentiam, & per se physice, atque etiam metaphysice quantum ad essentiam; at quantum ad prædicata attributalia sumpta in concreto, & adiectiue non est incommodum, quod aliquo modo sit ens per accidens metaphysice, seu per rationem nostram, vt sunt cætera omnia concreta metaphysica adiectiue sumpta iuxta doctrinam in Pharo Scient. traditam disput. 9. quæst. 2. Et quidem quantum ad prædicata personalia, certum est, Deum non esse ens per essentiam, absolute loquendo, sed tantum per physicam identitatem. Pari ratione dicendum est, non esse incommodum, quod essentia Dei metaphysica concipiatur perfectibilis per attributa communia, vt etiam concipitur perfectibilis per proprietates personales. Neque ob id adhuc metaphysice erit imperfecta, aut non erit summe perfecta intra suum genus iuxta dicenda infra, vbi de perfectione Dei.

234 Tandem obijciunt aliqui. Non repugnat ex attributis diuinis coalescere essentiam Dei metaphysicam. Igitur coalescit de facto. Nego antecedens: quia supposito, quod attributa diuina sunt quædam prædicata nostro modo concipiendi distincta à subiecto, de quo prædicantur, & per rationem ei adiacentia, vt quædam ipsius proprie-

tates, siue accidentia, vt de facto sunt, repugnat, quod non sint extra conceptum essentia metaphysicæ, cuius sunt accidentia, vel proprietates, scilicet extra conceptum dicti subiecti, in quo illa consistit.

### Propositio 5.

Intellectio actualis Dei nullatenus potest intrinsecè constituere essentiam metaphysicam eius. 235

Est contra Auctores secundæ sententiæ relatae num. 202. Et probatur primò auctoritate Patrum, quos num. 227. commemorauimus, expressè asserentium, quæcumque attributa de Deo dicuntur, & nominatim intellectiōnem, siue sapientiam omnino esse extra conceptum naturæ, seu essentia Dei. Nec satisfacit Hemel. tit. 4. disput. 1. cit. cap. 25. interpretans Patres de intellectiōne, & sapientiâ, non quatenus referatur ad Deum, quo pacto in sua sententiâ constituit essentiam, sed quatenus refertur ad creaturas, siue, vt est ars, vel prouidentia, qua ratione est quid secundarium inter attributa censendum. Non, inquam, satisfacit. Primò: quia sapientia absolute dicta, vt de eâ loquuntur Patres, integram Dei scientiam significat, qua se potissimum, ac dein creaturas intelligit. Secundò: quia scientia, qua Deus se cognoscit, operatio quædam est, seu actus ex suo conceptu. Patres autem commemorati omne genus operationis excludunt ab essentia Dei. Tertiò: quia Patres vniuersaliter statuunt, per nomina, quæ Deo attribuuntur, non naturam, sed ea, quæ sunt circa naturam, significari. Constat autem è numero esse huiusmodi nominum *intellectio, sapientia, scientia, intelligentia, sapiens, seu sciens*. Aliter responderet Herice supra cap. 5. ad vnum, vel alterum locum, quem sibi ex Patribus obiecerat. Sed non magis satisfacit, vt perpendenti loca Patrum, quæ nos congeessimus, notescet. In quo non opus est amplius morari.

Secundò probatur propositio: quia essentia metaphysica Dei in subiecto radicali omnium actuum diuinorum consistit: actus autem attributa eius sunt, vt inferius ostendemus proposit. 6. Sed vnus è diuinis actibus est intellectio, qua Deus se ipsum intelligit, vt est notissimum ex ijs, quæ diximus in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 1. Igitur intellectio Dei, etiam qua se ipsum intelligit, nequit intrinsecè constituere essentiam diuinam. Confirmatur ex S. Tho. qui in 1. distinct. 6. quæst. 1. artic. 3. docet, essentiam esse principium actuum diuinorum, & inter illos enumerat *intelligere*; & *velle*. Et distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. & 2. asserit, distinguere secundum rationem in Deo essentiam, potentiam, & operationem; qualis est apud ipsum actus intelligendi. Et distinct. 27. quæst. 1. artic. 1. ad 5. tum 1. par. quæst. 26. artic. 2. dicit, essentiam distinguere ab intellectiōne tanquam ab operatione sua. Et quæst. 1. de potentia artic. 1. ait, essentiam non habere principium sui secundum rationem; habere tamen illud in intellectiōnem; idque esse essentiam. Ex quibus patet, S. Tho. manifestè pro nobis esse; quidquid obstrepant Aduersarij. Si quando autem alijs in locis dicit, intelligere Dei esse eius substantiam, seu essentiam, planè loquitur de identitate reali, quam omnes Catholici confitemur, vt quisque facillè deprehendet ex scopo contextus.

Quo

Quo sensu sæpissimè etiam docet, velle Dei esse suam essentiam, siue suum esse, vt videre licet 1. par. vbi quæst. 19. quæ est de voluntate Dei, artic. 1. ita habet. *Sicut suum intelligere est suum esse, ita & suum velle.* Similiaque habet artic. 4. ad 2. & quæst. 20. artic. 2. ad 8. & quæst. 21. artic. 1. ad 2. & quæst. 27. artic. 4. ad 1. & quæst. 54. artic. 2. & quæst. 61. artic. 2. ad 1. ac demum, vbicunq; agit de voluntate, ac velle Dei. Vt hinc perspicuas, quo iure se protegant Aduersarij auctoritate S. Tho. ad asserendum, essentiam Dei in intellectu consistere, & non in volitione; quod dixerit sæpe Doctor Angelicus, in Deo idem esse intelligere, & esse, siue intellectiõnem, & substantiam. Præterquamquod, si in sensu formali loqueretur S. Tho. sola intellectu præcisè sumpta esset secundum ipsum essentia Dei; quod tamen Aduersarij negant: quia semper loquitur de velle, seu de intellectu in abstracto, prout inferius etiam ponderabimus agentes de alijs Patribus.

237 Tertiò probatur propositio: quia, si per aliquid pertinens ad lineam intellectualitatis esset vltimò constituenda essentia metaphysica Dei, potiùs per prædicatum intellectu, siue potentis intelligere, quam per actuale intellectuõnem, deberet constitui: eo quod potentia prior est actu; nec minùs, quam actus, facit rem, cui competit, differre ab alijs. Quocirca per potentiam intelligendi ante aduentum actus tanquam per vltimam differentiam deberet constitui essentia Dei, cuius subinde intellectuõ proprietas metaphysica esset, non differentia. Quod certè Aduersarij non negarent, si admitterent in Deo potentiam intellectuam distinctam per nostram rationem ab actu intelligendi. Cæterum omnino eam esse admittendam, fusè ostendimus contra eos tract. de scientiâ Dei. Vnde hoc argumentum rotum suum robur accipiet.

238 Quarto probatur propositio: quia, si essentia metaphysica Dei constitueretur intellectuõne, siue sapientiâ, Verbum diuinum immediatè ex intellectuõne, seu per intellectuõnem procedens, eo ipso dici posset procedere immediatè ex natura, seu per naturam. Qui tamen loquendi modus alienus à Theologiâ est; imò & malè audit contra Durandum; tametsi in alio sensu ipse illo vteretur. Deinde, vt dicitur Verbum sapientia genita, dici etiam posset essentia, seu natura genita. Diceretur etiam, imò esset ex suo conceptu intellectuõ diuina principium, & radix attributorum, ac personalitatum Dei, qualis conceptione omnium est essentia, seu natura diuina. Esset præterea verum, *Quia Deus se intelligit, est Deus*: non tamen è conversio, *Quia Deus est, se intelligit*. Similiter verum esset, *Quia Deus se intelligit, est immensus, æternus, immutabilis, iustus, misericors, &c.* Hæc namque habet; quia Deus est: & est Deus; quia se intelligit. Quæ omnia absona videntur, & contra communem motem sentiendi, & loquendi de Deo. Certè ego non possum capere, quomodò ab intellectuõne diuinâ, tanquam à suo primo fonte, & radice nascantur omnia attributa Dei, vt ab essentia metaphysicâ eius nasci debent; quomodò etiam, vt debent, per illam demonstrentur. Quis credat, esse Deum per locum intrinsecum impassibilem, immortalem, incomprehensibilem, infinitum, immensum, bonum, perfectum, iustum; quia se actualiter intelligit? Ego equidem non credam.

Denique probari solet propositio: quia, 239 essentia diuina obiectum specificatum est diuinæ intellectuõnis, ad quam proinde supponi debet in esse intelligibilis, priusquam actu intelligatur. Intellectio autem neque ad se ipsam supponi, neque à se ipsâ specificari, imò nec se ipsam formaliter intelligere potest. Repugnat igitur, per eam essentiam diuinam constitui. Hoc argumentum latè profequitur Granad. disput. illâ 3. cit. sec. 2. Sed mihi parùm videtur efficax; ob id eo non vtor. Videantur Fasol. supra dubit. 9. à num. 74. & Hemel. disput. 1. cit. cap. 23. Virgilius ego possem hunc premere, quatenus cap. 24. vt suam stabiliat sententiam, duas in Deo distinguit intellectuõnes, quarum alterâ sola essentia diuina, alterâ attributa relationes, & creaturæ intelligantur: dicitque per primam dumtaxat constitui ipsam essentiam Dei. Existimo enim, omnino repugnare in Deo formalitatem intellectuõnis, qua non attingantur omnes omnino formalitates Dei inter se identificatas realiter. Sed de hoc expecta me vsque ad tract. de scientiâ Dei.

Modò ad ea accedo, quæ pro se, & contra 240 nostram propositionem opponit Hemel. Opponit autem primò in disp. illâ cit. cap. 5. ea scripturæ loca, in quibus Deus asseritur *vna*, & *lux*, intelligendo illa de vitâ, & luce intellectuâli. Sed verò, si propter hæc loca dicenda esset essentia Dei constitui per intellectuõnem, pariter propter alia dicenda esset constitui per amorem, aut per iustitiam, aut per omnipotentiam, &c. quibus Deus asseritur charitas, iustus, omnipotens, &c. Certè, si, quidquid per verbum *est* prædicatur de Deo, ad eius essentiam metaphysicam continuò pertineret, nihil Dei non pertineret ad illam seu personale, seu commune: quandoquidem Deus trinus est, amans est, potens est, &c. Stet ergo, pleraque eorum, quæ Deus esse dicitur, attributa eius esse, non metaphysicam essentiam.

Secundò in eodem cap. opponit longum, 241 syllabum sanctorum Patrum, Philosophorumque ethnicorum, recitatis eorum verbis, in quibus ex instituto videntur definire Deum; dicuntque, esse illum suam scientiam, sapientiam, intellectuõnem, esse vitam intellectualem, mentem perspicacem, lucem, veritatem, & similia. Quibus satis significare videntur, per intellectuõnem Dei actuale constitui essentiam diuinam tanquam per vltimum, & quasi differentiale constitutum. Respondeo tamen, plerosque huiusmodi Patrum, atque Philosophorum, nihil curantes de nostris hisce præcisionibus metaphysicis, dumtaxat loqui in sensu identico, & reali, in quo verissimè affirmant de Deo, quod sit sapientia, intellectuõ, oculus, mens, veritas, & similia; quin propterea definiant, constitui per istos conceptus eius essentiam metaphysicam. Imò verò, si id definiant, in sensuque formali, & metaphysico loquerentur; cum semper, aut fere semper vtantur prædictis terminis, siue conceptibus in abstracto; planè definiant, essentiam metaphysicam Dei consistere præcisè in eius sapientiâ, luce, veritate, seu intellectuõne actuali. Quod tamen aperte est falsum, & contra ipsum Hemel. aliosque Auctores suæ factionis vnanimiter statuentes contra Aureolum, essentiam metaphysicam Dei non consistere præcisè in actuali intellectuõne, sed per eam vt coniunctam cum alijs prædicatis Dei communioribus tanquam per vltimum, ac differentiale con-

constitutum sui, compleri. Quod si verò aliqui ex Patribus, aut Philosophis magis formaliter, magisque ex definiendi intentione per actualitatem intellectiōnem, siue sapientiam concretè acceptam explicant Deum; adhuc non est putandum, sentire eos; essentiam Dei per illam constitui; (quando ex communi aliorum Patrum, aut etiam sui ipsorum consensu vident eam vna cum cæteris attributis positam extra conceptum talis essentia, prout nos demonstramus supra n. 227.) sed solum intendere explicare, notificareque Deum ipsum per vnam ex præstantissimis, notissimisque proprietatibus eius, qualis est scientia sua, siue sapientia; atque adeò non definitione essentiali, vt appellat, sed descriptiua iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo disp. 27. de varijs modis definiendi, seu explicandi essentias rerum.

242 Tertiò arguit Hemel. cap. 6. Essentia diuina per id omnino debet vitimatè constitui, quod magis accedit ad rationem primæ, & perfectissimæ substantiæ, ac vitæ, actusque purissimi; siue, vt dicant Herice cap. 3. n. 13. & Fasol. dub. 7. n. 53. per gradum vitæ perfectissimæ, qualis est intellectus actualis. Sed tale quid est sola actualis intellectio. Ergo per hanc omnino debet essentia Dei constitui, tanquam per vltimam differentiam. Consequentiā est bona. Maior ex se videtur nota. Probaturque insuper: tum quia vnumquodque constituitur in sua specie vitimatè per gradum perfectissimum omnium eorum, quæ competunt sibi; tum quia Deus secundum vltimam quasi differentiam constitutiua Deitatis intelligitur esse optima; & nobilissima omnium substantia. Minor etiam satis ex se nota videtur. Probari tamen potest præterea; quia inter omnes gradus entis gradus vitæ substantialis intellectualis perfectissimus est; vt constat in hoc autem gradu perfectior longè est vitæ actualis, purissimusque intelligendi actus, quam facultas, siue potestas intelligendi, vt etiam est notum. Concluditur ergo, per huiusmodi intelligendi actum debere vitimò constitui essentiam diuinam. Hunc discursum multis Patrum, Philosophorumque testimonijs conatur horare Hemel. Sed in cassum: quia cum illi alia agant, discursus semper relinquatur inualidus. Et quidem, si validus esset, probaret, vtique, etiam per actualem volitionem debere constitui essentiam Dei; imò & per origines, seu actus notionales, quibus Pater æternus producit Filium, Paterque, & Filius Spiritum sanctum. Qui omnes actus sunt vitæ substantialis, ac perfectissimæ. Compertum enim est, præstantiorem gradum actualis vitæ coalescere ex intellectu simul, & amore tum notionali, tum essentiali; quam ex solâ intellectu, ne essentiali, siue communi. Cum ergo certum sit, essentiam metaphysicam Dei hos omnes actus non complecti; nec per intellectualem constitui dicenda erit propter discursum factum.

243 Respondeo igitur ad illum, essentiam metaphysicam Dei non in formali, sed in radicali vitæ, & que perfectissima ponendam esse. Nec enim, in operatione, seu actu, sed in subiecto radicali omnium diuinorum actuum consistit; respectu cuius isti actus instar quarundam sunt proprietatum, vel accidentium intra ordinem metaphysicum. Quomodo in ordine physico subiectum duntaxat, siue radix operationum dicitur substantia, seu essentia physica rei, cuius operationes ipsæ sunt accidentia, aut proprietates. Ex quo patet, quo pacto essentia metaphysica Dei sit intra suum genus optima, & præstantissima essen-

tia. Id enim habet, non quia constituitur irrrefecè præstantissimo actu vitæ intellectualis: (vt sic enim præstantior euaderet constituta ex omnibus actibus vitæ diuinæ); sed quia est præstantissima, & optima radix præstantissimarum operationum, seu optimorum actuum. De quo plura dicenda postmodum proposit. 6.

244 Quartò argumentatur Hemel. cap. 7. & 8. Deitas, vt pote summum bonum, vltimò constitui debet per aliquid, per quod sic formaliter summè felix, atque beata, non quidem obiectiue solam, & mortuo modo, sed formaliter, & viuide, per beatitudinem videlicet formalem, & vitalem. Sed talis est clara visio, seu intellectio Dei. Ergo per hanc debet constitui vltimò essentia diuina. Et confirmari potest: quia Deitas nequit non esse summum bonum omnium bonorum aggregatione perfectum. Sed tale bonum est beatitudo secundum definitionem Boetij, quam omnes recipiunt Theologi. Ergo Deitas nequit non constitui suâ beatitudine consistente in intellectu equali, qua Deus sese intelligit. Hoc etiam argumentum, si probat aliquid, probat vtique, amorem beatificum Dei ad eius essentiam pertinere: quia sine illo non est Deus consummate beatus; neque ipse, aut eius beatitudo est bonum omnium bonorum aggregatione perfectum.

245 Respondeo igitur negando, Deitatem sumptam pro essentia metaphysica Dei debere includere in suo conceptu iuam formalem beatitudinem; aut esse bonum omnium aggregatione perfectum, loquendo formaliter. Sat enim est, quod tale bonum sit eminenter, seu radicaliter, vt pote subiectum, & radix omnium actuum, quibus Deus plenissimè, & consummatissimè redditur & beatus formaliter, & omnifariam infinite perfectus.

246 Quintum argumentum desumunt Hemel, & Herice, à nomine Deus, quod à videndo dicitur; & tamen ad significandam Dei naturam, seu essentiam impositum est, vt constat ex usu omnium nationum, propriissimèque eam significat, vt docet S. Th. 1. p. quart. 13. art. 11. ad 1. & indicat S. Iustin. in exposit. fidei pag. 11. vbi agens de varijs Dei nominibus ait, *Essentia explicatio Dei significatur, & declaratur appellatione*. Signum ergo est, essentiam diuinam per visionem, seu intellectualem, qua Deus se videt, constitui potissimum, & vltimatè. Sed verò, si à nominis etymologia licet argumentum desumere, potius dicenda est essentia Dei constitui per scientiam, qua Deus cuncta creata contempletur, & prouidet, quam per scientiam, qua se intuetur. Quod tamen Aduersarij negant. Etenim vocabulum Deus (inquit Athan. dialo. 1. de Trinit. initio) *naturam significat omnia contemplantem, & prouidentem*. Et Nyssen. lib. de Trin. ad Ablaium circa medium de nomine, *Deus dicit significare efficaciam inspectricem, spectatricem, visitatricem, contemplatricem, quæ omnia intuetur, & videt*. Imponitur enim (addit S. Th. 1. p. quart. 13. art. 8. in corp.) *hoc nomen ab vniuersali rerum prouidentia; omnes enim loquentes de Deo hoc intendunt nominare Deum; quod habet prouidentiam vniuersalem de rebus*. Vnde dicit Dionysius duodecimo capitulo de diuinis nominibus, quod *Deitas est, quæ omnia videt prouidentia, & bonitate perfectâ*. Ex hac autem operatione hoc nomen Deus assumptum impositum est ad significandam diuinam naturam. Non quia diuina natura per talem operationem constituitur; id enim repugnat, vt constat; sed quia per illam, vt pote ex notissimis nominibus, describimus nos, & explicamus essentiam Dei,

Dei, vt dicitur D. Angel. immediatè antea docuerat his aureis verbis. *Quia igitur Deus non est notus nobis in sui natura, sed innotescit nobis ex operationibus, & effectibus eius, ex his possumus eum nominare, vt supra dictum est; nimirum art. 1. eiusdem quæstionis. Per quæ patet, quid respondendum ad propositum argumentum.*

247 Sexto arguit Hemel. cap. 9. Illud est formale constitutum nature intellectualis, quod in ea lineâ intelligitur contrahere reliquos gradus superiores. Sed ita se habet intellectio in lineâ nature intellectualis diuinæ: contrahit enim gradus entis à se, substantia, spiritus, uiuentis, & intellectuali, si datur, constituens vltimum gradum intelligentis: qui omnes per analogiam ad creaturas à nobis concipiuntur in Deo; ita tamen, vt quilibet eorum sit infinitus, increatus, & singularis essentialiter. Igitur intellectio diuina formale, & vltimum constitutum est nature, seu essentia Dei intellectualis. Admissâ modò maiori; de qua quid dicendum, constat ex generali doctrinâ traditâ à nobis in Pharo disp. 9. quæst. 1. & 2. nego minorem: quia contractio non est possibilis, nisi sit conceptus magis communis per minus communem, vt apud logicos est notissimum. In Deo autem nullum ex prædicatis commemoratis est ceteris magis commune, supposito, quod sunt omnia diuina, atque adeò increata, infinita, & singularia, vt supponit ipse Hemel. Quo fit, vt inter illa nullum se habeat vt genus, nullum vt differentia, sed omnia vt proprietates eiusdem essentia, prout fufius explicabimus infra proposito. 6.

248 Septimò arguit cap. 10. Illa est specifica differentia nature intellectualis, quæ est principium substantiale quo vitaliter productiuum verbi mentalis præstantissimi tali nature debiti. Sed sic se habet intellectio in Deo. Ergo. Distinguo maiorem. Quæ est principium radicale, concedo; proximum & formale; nego; & negatâ minore; nego consequentiam. Est clarum ex dictis; nec maiore eget explicacione.

249 Octauo arguit in eodem cap. Illa est specifica differentia nature uiuentis, quæ, cum sit substantialis, & vitalis, communicatur genito immediatè ex vi actionis generatiuæ: omne namque uiuens intendit generare sibi simile, secundum naturam. Sed intellectio ita communicatur Verbo in generatione diuinâ. Ergo. Hic tangitur difficultas aliena à præsentî materia de ijs, quæ communicantur Verbo diuino immediatè ex vi generationis. Alij opinantur ex vi generationis communicari Verbo immediatè, quidquid Pater habet commune, atque adeò diuinam naturam, in quocumque demum conceptu ea consistere dicatur: apud quos proinde hoc argumentum non habet locum, vt apparet. Videatur Vazq. 1. par. disput. 113. Alij opinantes ex vi generationis solam sapientiam immediatè communicari Verbo, expressè negant, ipsi panter communicari naturam; cum quo componunt, quod Pater verè dicatur nihilominus intendere gignere sibi simile. Vnde neque apud hos habet locum argumentum propositum. Videatur Gran. 1. par. controu. 5. tract. 2. disput. 4. Quæ verò ex his sententijs mihi probetur, non est hoc loco determinandum. Id non possum non adnotare contra Hemel, neque ipsum sibi ipsi constare in argumento facto. Supponit enim tanquam indubitatum ex Patribus in materia de Trinitate, solam sapientiam Patris communicari Verbo im-

mediatè ex vi generationis: deinde latè contentit ex Philosophiâ, omne generans ex vi generationis immediatè communicare suam naturam genito. Ex quibus duobus profectò non sequitur, quod ipse prætendit; sapientiam scilicet diuinam veluti differentiam esse vltimò cum alijs Dei prædicatis constitutum diuinæ nature; sed potius naturam diuinam vnicè, & adæquatè in ipsâ sapientia consistere. Quod tamen, ipse negat, & omnes, vno fortasse excepto Aureolo.

Nonò arguit cap. 11. Ea est specifica differentia prototypi, quam eius imago imitatur, ad quamque representandam expressa est. Sed imago Dei tam creata, quam increata imitatur Deum exemplar suum secundum eius intelligere, ad idque habet esse expressam ab illo. Ergo intelligere Dei est specifica differentia eius. Debile argumentum. Vel enim imago Dei siue creata, siue increata imitatur, seu representat ipsum quoad prædicatum intellectiois præcisè; & sic non imitatur quoad naturam, contra intentionem arguentis: quia sola intellectio præcisè non est natura Dei, vt ipse fateretur. Vel imitatur, seu representat insuper quoad cætera prædicata; & sic quoad naturam simul, & proprietates erit imago Dei; vt est reuera, in quibuscumque demum Dei prædicatis natura eius, & proprietates constitui dicantur.

Postremò cap. 12. sententiam suam commentat Hemel. ex eo, quod, ea suppositâ, facile redditur ratio, cur processio Verbi diuini sit generatio, non item processio Spiritus sancti; in qua inquirendâ tantoperè Patres, & Theologi hæcenus laborarunt. Cum enim Verbo, vt pote facti intellectus paterni, communicetur intellectio ex vi processionis, quæ vt sic non communicatur Spiritui sancto, vt pote procedenti per voluntatem, sed amor: si per intellectioem, & non per amorem ponatur constitui natura Dei, Verbum diuinum ex vi suæ processionis euadet finis in natura suo principio producenti, atque adeò genitus, seu filius; (cum sit generatio origo uiuentis à uiuente in similitudinem nature iuxta Aristot. & omnes); non item Spiritus sanctus. Cæterum, sicut non sunt faciendâ mala, vt eueniant bona; ita non sunt statuendâ dogmata falsa ad propugnandam veritatem. Esse autem falsam sententiam, quam refellimus, ex decursu totius præsentis quæstionis compertum fiet. Multæ aliæ suppetunt viæ planiores ad discriminandum generationem Verbi diuini à processione Spiritus sancti, vt videri potest in tract. de Trinitate. Sed estò, non sit falsa dicta sententia, adhuc superstes est difficultas illius discriminis. Primo: quia dubium superest, an sola intellectio formaliter communicetur Verbo ex vi processionis, & solus amor Spiritui sancto; vel potius vtrique, quidquid Trinitati est commune: quo tota perstat difficultas. Secundò: quia sola intellectio Dei non est adæquata natura eius iuxta sententiam istam, Sed quasi differentia constituens vltimò vnâ cum alijs Dei prædicatis ipsam naturam. Ergo, licet sola intellectio communicetur Verbo diuino formaliter ex vi processionis, adhuc non euadet illud vt sic simile in natura Patri, sed solum in parte nature; quod fat non est, vt euadat filius. Mitto plura ad locum proprium: & pergo in proposito instituto.

Statuoque iam meam sententiam in sequente propositione; nam ex dicendis circa illam plâ-

ne constabit, facileque erit diiudicare, quid veri, & quid falsi contineant aliæ sententia, quæ supererant refellendæ.

## Propositio 6.

253 **Essentia metaphysica Dei in subiecto radicali omnium diuinorum actuum consistit. Definitur tamen Deus nihilominus quiditatiuè, & optimè per primum, & notissimum actum essendi, seu existendi à se.**

Pro pleniore explicatione, luculentioreque probatione huius propositionis, præter doctrinam tractatam in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 2. quæ hic imprimis supponenda, præ oculisque habenda est. Suppono insuper primò ex latius traditis ibid. disput. 27. vnumquemque terminum, siue conceptum obiectiuum bifariam esse definibilem, siue explicabilem. Primò per expressionem distinctam partium, quas ille amplectitur confusè seu physicas, seu metaphysicas. Secundo per comparisonem ad alium terminum notiore, cum quo aliquam ille habet necessitudinem: vtroque enim modo innotescunt nobis amplius, & discernuntur ab alijs quilibet termini apprehensi. Suppono secundo, conceptus simplices omnino, qualis est essentia metaphysica rerum simplicium, posteriori dumtaxat modo definibiles esse. Quocirca essentia metaphysica eiusmodi rerum in ordine ad suas proprietates, aut etiam passiones communes potest, & solet definiri. Suppono tertio, quando essentia metaphysica rei in ordine ad aliquam primam sui proprietatem, siue per illam definitur vel solam, vt fieri potest, vel comitatam cum passione communi, vt sæpius fit; tunc talem definitionem quiditatiuam, seu essentialè dici: quia prima proprietates, vniuersè loquendo, essentia loco nobis est, vt est vulgatum axioma Philosophorum, præsertim antiquiorum. Vnde definitiones datæ per alias proprietates non primas, non quiditatiuæ, sed descriptiuæ venerunt appellandæ. Est autem prima proprietates essentia ea, cum qua essentia immediatè connexa est: non prima autem reliquæ, cum quibus connectitur mediatè. Et quoniam principia scientiarum ex propositiones sunt, in quibus primæ proprietates prædicantur de essentijs; ex primis enim proprietatibus demonstrantur non primæ: idcirco definitiones quiditatiuæ per primas proprietates datæ apriorès sunt in ordine ad scientiam; quippe quæ inter alia principia ante omnem scientiæ demonstrationem præmitti debent: tametì sæpe per descriptiuas clarius, apertiusque nobis innotescant res demittæ. De quibus omnibus plura sunt dicta loco citato: videantur, His positis.

254 Probo priorem partem propositionis primò auctoritate Patrum, quorum mentionem fecimus supra proposit. 4. Illi enim, vt constat ex ipsorum testimonijs ibidem indicatis, vnanimi consensu asseuerant, per nullum nomen eorum, quæ de Deo dicuntur, significari conceptum proprium essentia Dei; sed vel, quid non est Deus, si nomina sunt negatiua, vel, quæ circa essentiam Dei sunt, in ipsaue essentia inspicuntur, si sunt positiua: & vniuersim ea, quæ essentia Dei conueniunt, ipse veluti aduenire, & quasi accedere, concipiuntur. Igitur sentiunt manifestè, essentiam Dei in nullo eorum prædicatorum consistere, quæ de Deo aut per modum actus siue primi,

siue secundi, aut per modum formæ quasi adiacentis seu positiuæ, seu negatiuæ prædicantur; qualia sunt, quæ significant cuncta nomina attributorum: sed solum in conceptu subiecti distinctis omnibus prædicatis communi; quæ ipsissima est nostra sententia. Tale namque subiectum est id, cui talia prædicata aduenire, & conuenire concipiuntur; vel circa quod ea sunt, aut in quo esse inspicuntur; vt de essentia diuinà loquuntur Patres.

255 Secundo probatur eadem prior propositionis pars auctoritate Patrum, quos pro posteriore adferemus, asserentium per nomen *Qui est*, siue *entis à se*, quo Deus definit se ipsum Exod. 3. aptissime omnium, ac propriissime significari essentiam Dei. Quia nimirum subiectum actus essendi à se, (quod & reliquorum actuum diuinorum subiectum est), per comparisonem ad actum ipsum, quem exprimit huiusmodi nomen, tanquam per primam, & notissimam sui proprietatem notificatur. Sentiunt igitur, essentiam Dei in subiecto talis actus, atque adeo reliquorum etiam omnium consistere. Quod expressisse videtur Nazianz. orat. 49. in medio, vbi ex verbis illis Exod. *Ego sum, qui sumi & Qui est, misit me*, colligit. *Ergo ipsum, quod est*, (nempe subiectum actus essendi), *hoc erit substantia huius rei, quæ esse deservitur*.

256 Tertio probatur auctoritate Doctorum, scholasticorum, è quibus S. Tho. locis citatis supra num. 236. & nominatim in 1. distinct. 6. quæst. 1. artic. 3. expressè docet, essentiam esse principium omnium actuum diuinorum, inter quos numerat existentiam, & intelligere, & velle. Quale autem est hoc principium nisi subiectum radicale dictorum actuum? Scot. etiam distinct. 26. quæst. vnic. scribit, essentiam esse principium operationum naturæ, quæ sunt intelligere, & velle. Enric. 1. par. sum. artic. 33. quæst. 2. asserit, *essentiam esse fundamentum omnium rationum attributarum*. Et vniuersè, vt alios taceam, omnes concipiunt essentiam metaphysicam Dei tanquam radicem omnium eius quasi affectionum, seu proprietatum. Nullus autem conceptus est assignabilis in Deo, cui competat esse tam vniuersalem radicem, præter conceptum subiecti primi, seu radicalis, cui cuncta prædicata diuina conueniunt, & attribuuntur per modum actus, seu formæ; ac demum per modum passionis, proprietatis, siue accidentis; ideòque, loquendo proprie, attributa appellantur. Igitur in conceptu talis subiecti est omnino constituenda essentia metaphysica Dei iuxta communem, & naturalem modum concipiendi illam, quem omnes habent.

257 Quarto probatur eadem pars: quia essentia metaphysica conuisis rei in vniuersum in subiecto radicali omnium ipsius actuum, operationum, siue formarum consistit, vt in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 2. monstratum est. Tantundem ergo debet dici de essentia metaphysica Dei; quia, quod ad præsens attinet institutum, non est, cur Deus ab alijs, rebus discernatur. Quandoquidem diuersarum formalitatum distinctio, diuisioque earum in essentiam, passiones communes, & proprietates plus in nostro modo res concipiendi, quam in rebus ipsis fundatur. Deum autem pro hoc statu eodem modo concipimus, atque res alias, vt quæst. 3. statuimus.

258 Quinto denique probant id ipsum tum re futatio sententiarum, tum dilutio argumentorum,

rum, quæ nostræ aduersantur, à nobisque aut sunt exhibitæ in superioribus, aut in sequentibus exhibendæ.

359

Iam verò posterior pars propositionis; quòd scilicet Deus quiditatiuè, & optimè definiatur per actum essendi à se tanquam per primam, siue immediatam proprietatem essentia suæ metaphysicæ, probatur imprimis auctoritate ipsius Dei se definientis Exod. 3. ubi interrogatus à Moyse, quod esset suum nomen, & quomodò ipse definiendus, si Israelitæ postulerent, respondit; *Ego sum, qui sum*, ait; *sic dices filiis Israel. Qui est, misit me ad vos*. Vbi per verbum *sum*, & est significari antonomastice actum essendi existentialem, quo Deus à se, siue absque vllâ causâ sui; atque adeò necessariò omninò, indefectibiliter existit, communis Patrum, aliorumque expositorum sententia est, vt apud illos ad hunc locum videre licet; & apud Soar. tom. 1. in 3. par. disput. 11. sect. 1. Cum igitur Deus de sua definitione rogatus per dictum actum essendi à se definiat se ipsum, hæc utique definitio respectiuè ad caput nostrum, quibus tradita est, præstantior reliquis, atque adeò quiditatiua censenda est; data videlicet per immediatam, & satis notam diuinæ essentia proprietatem iuxta doctrinam prænotatam num. 253.

360

Id quod etiam satis expressè docent Patres communiter. Accipe imprimis egregium satis ad rem nostram locum Nazianz. orat. 36. ubi cum dixisset expressè omnia nomina, quæ de Deo à nobis dicuntur, significare, non Dei essentiam, sed quæ circa essentiam sunt, addit col. 3. fine. *Ita Dei naturam nec mens vnquam, vlla profus concepit, nec vox vlla complexa est; verum ipsum ex ijs, quæ circa ipsum sunt, adumbrantem obscuram quandam, & imbecillam, atque aliam ex alio speciem colligimus. Quantum ergo nobis assequi concessum est, ens, & Deus magis quodammodò essentia nomina sunt. Ex ijsque etiam entis vox ad illam indicandam aptior est. Damasc. item lib. 1. de fide cap. 12. ait. Videtur principalis omnium de Deo dictorum nominum esse. Qui est. Quemadmodum ipse dans responsum Moysi in monte inquit, dic filiis Israel. Qui est, misit me. Bernardus ponderans relata Exodi verba lib. 5. de consideratione ad Eugen. cap. 6. initio ait. Nihil competentiùs æternitati, quæ Deus est, quam hoc nomen. Qui est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur. Qui est. Nimirum: quia actus essendi à se proprietas est prima Dei, ad quam reliquæ consequuntur. Id quod disertissimè docet D. Dionys. cap. 5. de diuin. nomin. inter princip. & med. dum ait, *Ex ipso esse, tanquam antiquiori alijs Dei bonis, ipse Deus celebratur*: id est, tanquam principio, & fonte aliorum Dei attributorum, vt ipse latè declarat concludens iterum, *Primum igitur ipse esse, munus cæteris præponens suprema illa bonitas, ipso esse vt antiquissimo, primoque omnium eius participationum potissimum celebratur*. Denique, vt cæteros Patres prætermittam, quorum plura testimonia similia apud Lippomanum videri possunt in catena Exodi ad illa verba cap. 3. *Ego sum, qui sum*. S. Tho. 1. par. quæst. 13. artic. 11. & ibi eius expositores vnanimiter resoluunt, nomen *Qui est* maximè proprium esse eorum omnium, quæ dicuntur de Deo. Ex quibus omnibus concluditur aptissimè illum, atque adeò quidita-*

tiuè per istud nomen definiri. Quod erat probandum.

Rationeque præterea id ipsum probari potest, Quoniam, vt constat ex doctrinâ præmissâ num. 253, tunc aliquid quoad essentiam sui metaphysicam quiditatiuè, atque adeò aptissime dicitur definiri, quando per primam talis essentia proprietatem, aut certè per aliquam, ex primis, & immediatis, per quas ea est explicabilis, explicatur, & aperitur. Sed actus essendi, seu existendi à se aut est omnium prima, aut saltem ex primis, & immediatis proprietatibus, per quas explicabilis est essentia metaphysica Dei, vt indicant Patres num. præced. citati. Ergo per huiusmodi actum quiditatiuè, & aptissime definitur essentia metaphysica Dei.

261

Dices. Prior est in Deo potentia ad essendum, atque adeò immediatiore proprietas essentia metaphysicæ eius, quam actus ipse essendi. Ergo per illam potius, quam per hunc, est definienda essentia ipsa, vt quiditatiuè, & optimè definiatur. Respondeo primò, etsi potentia ad essendum sit prior in Deo, quam actus ex prædicato potentia præcisè; sed ex prædicato talis potentia, quò pacto in definitione essentia ponenda erat, fortasse non est prior: quia, vt constat ex doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disput. 8. potentia mutuo cum suo actu connexa, qualis est potentia ad essendum in Deo prout talis, non semper est prior actu. Sed est, sit absolutè prior. Respondeo secundò, cum potentia non sit à nobis cognoscibilis, qua talis est, nisi per actum, quando actus æquè necessariò conuenit essentia, ac potentia, vt euenit in nostro casu, factius esse breuitatis causâ definiri essentiam per solum actum, quam per potentiam simul, & actum. Tunc enim, etsi actus non sit absolutè proprietas immediata essentia, cum sit prior potentia, vt ponimus; at in ordine ad definitionem immediata censetur: quia est prima, aut ex primis, per quas essentia est definibilis, seu explicabilis. Quo fit, vt definitio data per illam quiditatiua sit, & optima, vt in casu præfenti est.

262

Dices rursus. Explicatiùs, & clariùs definitur Deus per alias proprietates sui, aut per plurium attributorum cumulum, quam per solum actum essendi à se. Ergo per huiusmodi actum non definitur optimè. Transeat antecedens, Et nego consequentiam: quia in ordine ad scientiam non est optima definitio, quæ clarissima, sed, quæ quiditatiua est, si alias sufficienter sit clara, vt contingit in præfenti. De quo vide latius dicta in Pharo Scient. disput. 27.

263

Dices præterea. Prædicatum *Entis à se* valdè est commune in Deo, remotumque ab vltima quasi differentiâ Dei consistente in prædicato intelligentis actualiter, & necessariò; interponuntur enim prædicata substantia, spiritualis, viuentis, intellectiua, ex quibus omnibus diuina categoria resultat. Ergo, sicut malè definitur homo per solum prædicatum entis ab alio; debet enim definitio eius complecti vsque ad vltimam differentiam prædicata omnia iuxta categoriæ, entis videlicet ab alio, substantialis, corporei, viuentis, sensibilis, rationalis; ita Deus malè quoque definitur per prædicatum entis à se. Respondeo negando prædicatum *Entis à se* esse magis commune in Deo, quam alia eiusdem Dei prædicata, quemadmodum prædicatum

264

tum *entis ab alio* ut sic magis commune est in homine, quam reliqua predicata hominis: contrahitur enim per illud additamentum *à se*, ut soli Deo conveniat. Quo fit, ut predicatum *Entis à se* non minus sit proprietas Dei nulli alij enti conveniens, quam reliqua predicata omnia. Cumque sit prima, vel ex primis, optimè per eam Deus definitur; quamvis homo per predicatum *entis ab alio* defini non possit: eo quod illud non contrahitur, ut proprium hominis euadat, donec accedat rationalitas, qua cum animalitate coniuncta à cæteris entibus differt homo.

265 Instabis. Quamvis predicatum *Entis à se* ita sit proprium solius Dei, ut alijs entibus à Deo distinctis non conveniat; attamen omnibus predicatis divinis commune est, siue ea transcendens. Ergo nequit per illud defini essentia metaphysica Dei, ut condistincta à reliquis omnibus Dei predicatis. Vel ergo essentia metaphysica Dei complectitur omnia Dei predicata, saltem prout habent esse à se, ut dicebat Gillius citatus supra num. 206. Vel malè ea definitur per predicatum *Entis à se*, siue per actum essendi à se. Respondeo. Aliud est definire Deum metaphysicè, seu quoad essentiam metaphysicam prout condistinctam ab alijs rebus, quæ talem essentiam non habent. Aliud definire essentiam ipsam Dei metaphysicam in abstracto prout condistinctam à cæteris formalitatibus divinis. Primum præstat, & optimè per præfatam definitionem. Quod nos solum contendimus. Secus secundum. Essentia quippe metaphysica Dei qua talis sumpta in abstracto prout ab alijs eiusdem formalitatibus præcisa, seu distincta, subiectum primum, & radicale earum definitur à nobis; quia per munus subiecti, quod circa illas ratione nostrâ exercet, optimè ab illis discernitur, & innotescit.

266 Sed arguet adhuc fortasse aliquis contra priorem partem propositionis ex doctrinâ Hericæ; & aliorum. Essentia metaphysica cuiusque rei debet esse formalitas perfectissima eius. Sed talis non est in Deo formalitas subiecti primi omnium prædicatorum Dei; cum ea ex suo præciso conceptu nec sit vitalis, nec incorporea, nec immortalis, nec infinita, imò nec bona, nec perfecta. Ergo nequit in tali formalitate consistere essentia metaphysica Dei. Hoc argumentum probaret utique, si quid probaret, debere essentiam metaphysicam Dei omnes divinas perfectiones, etiam personales, complecti: quia aggregatum omnium est conceptus ex suo genere perfectissimus Dei. Respondeo ergo, admittendo maiorem; & negando minorem; si fiat comparatio dumtaxat inter formalitates Dei acceptas singularem; nulla quippe videtur esse æquè perfecta, ac subiectum commune, & primum, in quo omnes illæ radicantur; quodque subinde eminenter videtur complecti omnes earum perfectiones; etsi formaliter nullam contineat. Quo iure S. Tho. 1. par. quæst. 4. artic. 1. ad 3. & artic. 2. ad 2. ex D. Dionys. cap. 5. de divinis nominibus, ait, quod in Deo ipsum esse perfectissimum omnium est, atque adeo perfectius, quam vita, & sapientia. Qua verò ratione tale subiectum dici possit esse formaliter bonum, & perfectum, etsi intrinsecè non constituitur bonitate, vel perfectione, difficultas est communis alijs formalitatibus, quas bonitas, & perfectio transcendunt. De quo generatim actum est in Pharo Scient. disput. 17.

quæst. 20. Specialiusque agetur infra disput. 2. quæst. 4. Admissi autem, tantum maiorem, nec concessi absolute: quia ad signandam essentiam metaphysicam rei, id duo imprimis attendendum, quod sit formalitas obiens munus subiecti primi, & radicalis omnium passionum; proprietatum, & accidentium, quæ rei metaphysicè accrescunt; siue eo titulo dicatur esse perfectior ex suo genere cæteris eiusdem rei formalitatibus; siue secus. Quod controversia potest esse subiectum, de qua suo loco.

Ex quibus omnibus concludo, & infero 267 primò contra sententiam tertiam, & quartam, relatas num. 203. & 204. essentiam metaphysicam Dei neutiquam consistere posse in predicato intellectui, aut etiam in predicato volitui, siue potentis intelligere, & velle: quia hæc prædicata attributa quadam sunt, siue proprietates essentialis, ut satis ex dictis hactenus notum est. Et quamvis essentia, seu potius Deus ut illam habens per huiusmodi prædicata defini possit; non potest tamen defini quiditativè, sed descriptivè; quia non sunt ea ex proprietatibus immediatis, sed ex mediatis, iuxta superius dicta.

Secundò infero, quid verum habeant quinta, 268 & sexta sententia num. 205. & 206. relata, quatenus asserunt in predicato *entis à se*; vel, quod in idem recidit, in predicato *entis à se* interminabilis, & actualiter existentis consistere essentiam Dei metaphysicam. A cætera enim non consistit; tamen Deus per predicatum *entis à se*, seu actualiter à se existentis quiditativè definiatur, ut explicuimus. Non tamen opus est addere predicato *entis à se* predicatum interminabilis, seu infiniti: quia hoc est ex attributis Dei mediatis, atque adeo non attinentibus ad definitionem quiditativam ipsius Dei.

Tertiò infero contra sententiam octavam, 269 citatam num. 208. essentiam metaphysicam Dei per eius infinitatem constitui non posse: quia infinitas est vnum ex attributis divinis, quæ circa eius essentiam sunt, ut phrasia est Sanctorum Patrum; atque adeo extra eius conceptum.

Quartò infero contra Recentiores relatos 270 pro nonâ sententia num. 209. conceptum radicis, siue subiecti radicalis attributorum Dei, in quo consistit eius essentia metaphysica, non compositum ex multis radicibus partialibus, sed omnino simplicem esse: quia subiectum radicale omnium actuum, quos de vnaquaque re prædicamus, vnum, & idem semper est, ut notavimus in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 2. Quanquam enim, si secundariò reflectamus supra talem conceptum, nihil vetat, distinguere nos supra illum diversas formalitates penes diversos actus, quorum subiectum est, addendo videlicet illi plures respectus ad tales actus, quorum subiectum est, ratione nostrâ diversos: quia tamen huiusmodi respectus alij quidam actus sunt, qui interveniunt; semper manet verum, subiectum radicale omnium omnino actuum conceptum esse omnino simplicem, iuxta doctrinam sæpe in præcedentibus commemoratam ex Pharo Scient.

### Propositio 7.

Essentia transcendentalis in omnibus, 271 & singulis formalitatibus Dei reperitur.

Quia nulla est omnino formalitas Dei, quantum.

tumuis ab alijs præcisa, quæ non sit essentialiter ipsamet. In quo essentia eius, quam transcendentaliter appellamus, consistit. Recognosce, quæ vniuersaliter sunt dicta de hoc genere essentia in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 2.

272 Supererat essentia logica, quæ ex genere, & differentiâ coalefcit. De qua, an etiam reperitur in Deo, opportunitus disquiremus inferius, vbi de simplicitate Dei sermo erit.

QVÆSTIO XI.

Vtrum existentia Dei ab eius essentia aliquo modo distinguatur.

273 **E**X dictis in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 1. de existentia rerum in vniuersum constat, existentiam Dei nihil aliud esse ab eo actu obiectiuo, à quo Deus dicitur existere, siue existentialiter esse in rerum naturâ. Qui conceptus utpote notissimus amplius, aut melius non est explicabilis, vt ibi notauimus. Igitur, vt in eadem disput. quæst. 6. examinauimus, vtrum existentia creaturarum ab earum essentia distinguatur: & quâ ratione. Ita in præsentî examinandum suscipimus, vtrum existentia Dei ab eius essentia distinguatur: & quâ ratione.

274 Conueniunt autem omnes Catholici, existentiam Dei ab eius essentia realiter distinctam non esse. Id in controuersiam vocatur. An ita ab illâ distinguatur formaliter, siue ex naturâ rei secundum Scoticam distinctionem, siue per rationem dumtaxat, vt ad conceptum quidditatum ipsius essentia non pertineat intrinsecè. Mayron. in 1. distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. Bargius in eadem distinct. & Trombeta ab eo citatus, & alij Scotistæ apud Bassolim in 1. distinct. 8. artic. 2. ex naturâ rei videntur distinguere existentiam Dei ab essentia vt modum intrinsecum eius. Id quod iuxta mentem Mayron. defendit Picus Mirandulanus in suis conclusionibus concl. 8. Ex reliquis verò Theologis, qui huiusmodi distinctionem vt prorsus alienam à diuinis prædicatis expolunt, multi arbitrantur, existentiam diuinam ne per rationem quidem nostram esse extra conceptum essentia, sed illam omnimodis intrinsecè constituere. Pro hac sententia allegant multi S. Tho. 1. par. quæst. 3. art. 4. Sed ibi reuera dumtaxat adstruit identitatem realem inter existentiam Dei, & essentiam, vt ibidem adnotat Caiet. Zumel, Nazari. & alij. Stant nihilominus pro illâ multi expositoribus S. Tho. ad dictum artic. Vbi Fasol. dub. 1. & 2. dicit esse sententiam omnium, exceptis Scoticis relatis. Soar. autem lib. 1. de essentia, & attribut. cap. 2. iudicat, esse eam omnino veram, & veritati fidei maxime consentaneam. Eandem sententiam tenent Arrub. 1. par. disput. 10. cap. 9. Tanner. alios referens disput. 1. quæst. 1. dubit. 5. num. 10. Recupitus lib. 2. de Deo quæst. 19. Quiros 1. par. in comment. S. Tho. quæst. 3. artic. 4. & alij. Non desunt tamen alij multi, qui doceant, existentiam diuinam per nostram rationem ita distingui à diuinâ essentia, vt extra conceptum eius sit perinde, atque alia attributa. Ita Heruus in 1. distinct. 3. quæst. 2. Ferrar. lib. 1. contra Gent. cap. 12. Salaf. 1. 2. tract. 2. disput. 3. sect. 7. num. 3. Gran. 1. par. tract. 2. controuer. 1. disput. 2. num. 6. Vazq. 1. par. disput. 22. cap. 3. num. 6. & disput. 24. cap. 3. num. 8. Ruiz di-

sput. 25. de Trinit. sect. 2. num. 10. Arriag. 1. par. disput. 2. sect. 8. sub 1. vbi latè ad rem argumentatur contra Soar. Et, quod caput est, S. Tho. perspicuè hanc sententiam expressit in 1. distinct. 19. quæst. 2. artic. 1. ad 1. dicens, *Essentia diuina secundum intellectum est prius, quam esset suum.* Et artic. 2. in corpore ait, *Ess. diuinum est idem cum eo, cuius est actus; sed differt tantum ratione.*

Propositio 1.

Existentia Dei realiter ab eius essentia 275 distincta non est, sed omnino idem cum illâ.

Hæc propositio planè est de fide. Primo: quia de fide est, nullum prædicatum intrinsecum Dei realiter esse distinctum à diuina substantia, vt vniuersaliter ex Concilijs, & Patribus demonstrauimus in Pharo nostro disp. 13. quæst. 4. Secundò: quia ea speciatim continetur in illo oraculo diuino Exod. 3. *Ego sum, qui sum,* iuxta communem expositionem Patrum, quos supra quæst. 10. commemorauimus. Ex quibus August. apud lippomanum in catena ad verba Exodi relata ita loquitur *Quod dicit Deus Moysi, Ego sum qui sum, & qui est, misi me ad vos, diuinitatis substantiam signat.* Et Basilus, *Isud, qui sum, vnâ eandemque, ac communem essentiam significat.* Vide ibi plurium testimonia, & apud Soar locis citatis. Quibus adde Athanasium pulcherrimè ad rem ita dicentem epist. de Synodis Arimini, & Seleucia celebratis multò post medium. *Cum audimus, Ego sum, qui sum, non aliud quidpiam, sed ipsam simplicem, & beatam, & incomprehensibilem eius, qui est, essentiam intelligimus.*

276 Probari autem potest propositio imprimis omnibus rationibus, quibus vniuersaliter probauimus loco nuper citato, nullum ex prædicatis Dei intrinsecis posse realiter distingui à diuinâ substantia. Deinde speciatim tribus, quibus illam probat S. Th. 1. p. quæst. 3. art. 4. citato. Prima est: quia quidquid realiter est distinctum, & superadditum cuius essentia, non potest non esse causatum aut ab ipsâ essentia, aut aliunde. Sed existentia Dei nec potest aliunde causari: quia Deus extra se non potest habere causam suæ existentia, vt constat. Nec potest causari à Dei essentia: quia, cum causa præcedere debeat existens, antequàm det effectum existentiam, si essentia Dei suam existentiam causaret, existeret, antequàm existeret, haberetque esse, antequàm haberet. Quod est implicatorium. Ergo. Secunda: quia, cum existentia ex proprio conceptu sit actus, si existentia Dei ab eius essentia realiter distingueretur, hæc comparatione illius se haberet vt potentia realis: dareturque in Deo potentialitas prorsus aliena à prædicato actus purissimi, quod Deus habet, prout videbimus in quæst. seq. Tertia: quia si Deus existeret per existentiam sibi realiter superadditam, non tam effectus ens per essentiam, quàm ens per participationem. Quod etiam prorsus ei repugnat. Præterea argumenta, quibus in Pharo disp. 9. quæst. 6. ostendimus, existentiam creaturæ realiter etiam ab eius essentia esse indistinctam, multò potiori iure habent locum in existentia Dei, vt constat. Quæ omnia sat fuerit indicasse pro re tam comperatâ.

## Propositio 2.

277 **Existencia Dei, & eius essentia nul-**  
latenus ex natura rei distinguuntur ad-  
huc formaliter, vti arbitrati sunt Scotista  
citati.

Hanc propositionem verissimam esse censeo.  
Ab eius tamen probatione supersedeo. Quia ea-  
omnia, quibus in Pharo disput. 13. quest. 5.  
monstratum est, nullum attributum diuinum hocce  
genere distinctionis à diuinà essentia distingui,  
tantumdem monstrant de existentia; imò potiori  
quodam iure; cum ea sit ex predicatis Dei trans-  
cendentibus, & reliquorum primum. Quibus  
adde argumenta facta speciatim pro precedente  
propositione; quæ pro hac etiam faciunt suo  
modo.

## Propositio 3.

278 **Existencia Dei de intrinseco conce-**  
ptu essentia physica eius est absolutè, &  
simpliciter.

Dico absolutè, & simpliciter, vt innuam di-  
scrimen inter existentiam Dei, & existentiam  
creaturæ. Hæc enim, licet ab ipsa creaturâ reali-  
ter non distinguatur, vt longè probabilior opinio  
fuit, & nos probauimus in Pharo disp. 9. quest. 6.  
non tamen dicitur ad eius essentiam adhuc phy-  
sicam pertinere absolutè, & simpliciter; sed po-  
tius veluti accidens eius logicam esse; eo quòd  
creatura contingenter ponitur in statu existentia-  
li absoluto, & contingenter ab illo potest deficere;  
cum tamen Deus necessariò sit in tali sta-  
tu, neque deficere ab illo possit. Id quod sibi  
volunt, & non amplius S. Th. alijque Theologi  
communiter; dum absolutè, & sine maiori di-  
stinctione pronunciant, existentiam esse essentia-  
lem Deo, aut pertinere ad eius essentiam, aut  
esse de conceptu intrinseco essentia eius, aut quid  
simile. Tantum enim intendunt, Deum à se, &  
omnino necessariò habere existentiam; cum ta-  
men creatura ab alio, & contingenter habeat.  
Quomodo autem existentia creaturæ, etsi cum  
illa identificata, ad eius essentiam physicam non  
dicatur spectare; tamen ad illam intrinsecè perti-  
nere dicantur cætera cuncta predicata identifica-  
ta cum ipsa, in eâ quest. 6. cit. explicatum est.  
Itaque, esse existentiam diuinam de conceptu in-  
trinseco essentia physica Dei, nihil est aliud,  
quàm, esse illam identificatam cum Deo, & ei  
omnino necessariam. Quorum vtrumque est cer-  
tum secundum fidem, contentum haud dubie in  
illo oraculo diuino, *ego sum, qui sum*. Et de pri-  
mo quidem diximus proposit. 1. Secundum verò  
demonstrabitur Disp. 3. Quomodo autem essentia  
physica Dei, & metaphysica inter se differant,  
factis superque quest. 10. ex vniuersali doctrinâ  
datâ disp. 9. quest. 2. Phari explanatum est.

## Propositio 4.

279 **Existencia Dei, prout à nobis in præ-**  
senti statu concipitur, extra conceptum est  
essentia metaphysica eius vt quidam actus  
ei superadditus, ab illâque subinde per ratio-  
nem nostram distinctus.

Hæc propositio ex doctrinâ tradita in Pha-

ro disp. 9. quest. 2. & sæpe exinde repetita quest.  
10. præced. constat aperte. Quia videt licet nullatenus  
possumus nos iudicare pro hoc statu, Deum  
existere, absque duplici conceptu obiectiuo,  
quorum alter sit existentia, siue actus existendi,  
alter subiectum talis actus: in quo subiecto consti-  
tuit essentia Dei metaphysica, vt latè dictâ quest.  
10. probatum est. Confirmant hanc eandem  
propositionem alia rationes, quibus insuper  
ostendimus in Pharo disp. 9. quest. 6. citatâ, exi-  
stentiam creaturæ ab essentia metaphysica eius  
formaliter per rationem nostram esse diuinctam.  
Quippe eodem pacto, quod ad rem actin et, con-  
cipimus nos existentiam Dei, atque existentiam  
creaturæ: nisi quòd illam vt actum necessarium  
essentia diuinâ; hanc verò vt actum contingen-  
tem essentia creaturæ concipimus. Recognoscantur  
ibi dicta, & huc applicentur.

Opponit tamen nobis Soar, primo. Nomi-  
na sapienter imposita naturam, & essentiam rei  
solent maximè declarare. Ergo, cum ab ipsa  
existentia sibi Deus imposuerit nomen in loco  
Exod. Sæpe citato, argumento est, illud maximè  
esse essentiale. Respondeo, eiusmodi nomen es-  
sentialissimum esse, si sermo sit de essentia phy-  
sica, vt constat ex dictis. Si verò de metaphysi-  
ca, optimè etiam omnium per illud eam defini-  
ri, vt fusiùs explicatum est quest. 10. præced. propo-  
s. 6. non, quòd existentia, quam tale nomen  
præ se fert, sit de intrinseco conceptu talis essen-  
tia; sed quòd sit prima passio eius; & essentia  
metaphysica dumtaxat nobis innotescant per suas  
passiones, & proprietates. Recognosce, quòd  
ibi diximus.

Secundò opponit, Si existentia diuina con-  
cipitur vt actus distinctus, & superadditus essen-  
tia, Ergo concipitur vt, resultans ab illa tan-  
quam à radice, & vt quid posterius illâ. Sed  
nihil potest concipi vt resultans ab alio non exi-  
stente. Ergo iam essentia ante talem actum con-  
cipitur existens, existentia scilicet intrinseca sibi  
& essentiali. Quo fit, vt actus ipse existentia,  
qui ponebatur superadditus, impertinens sit, &  
commentitius. Hoc argumentum pariter vide-  
tur probare, existentiam creaturæ non posse ab  
eius essentia per nostram rationem distingui. Pro-  
pter quod Arriaga supra vniuersaliter opinatur,  
quamuis essentiam, & existentiam ex solo modo  
conciipiendi diuerso se tenente ex parte intelle-  
ctus, non verò vt duas formalitates obiectiuas di-  
stingui. Cuius sententia sunt etiam Ouedo, &  
alij agentes de existentia creatâ, vt vidimus  
quest. illâ 6. sæpe cit. disput. 9. Phari. Ego ve-  
rò oppositum sentio; & ad argumentum respon-  
deo, etsi actus existentia ex suo conceptu sit po-  
sterior subiecto, cuius est actus, nimirum essen-  
tia, aut etiam, si placet, ab illâ tanquam à radice  
resultans, vel quasi emanans concipiatur; de quo  
modò non curo; non opus esse, quòd essentia  
ad id muneris concipiatur præexistens formaliter  
ante talem actum; sed sufficere, quòd concipi-  
atur fundamentaliter præexistens, eo videlicet  
conceptu, sub quo apprehensa fundamentum præ-  
bet, vt de eâ intellectus noster iudicet, quòd  
existit, attribuendo illi actum existentia forma-  
lis; qualiter solum pro hoc statu id iudicare po-  
test. Etenim eâ etiam solum ratione apprehen-  
ditur à nobis Deus existens; quando de illo indi-  
camus, quòd producit creaturam, iuxta doctrinam  
datam à nobis in Pharo disp. 2. quest. 4.  
consect. 5. Cum tamen certissimum sit produ-  
ctio-

tionem creaturæ ex suo conceptu esse actum, oriundum à Deo ut à principio, à quo reuera accipit esse. Adde, existentiam formalem ex prædicatis transcendentibus esse, quæ semper supponunt ex parte subiecti fundamentaliter id, quod præ se ferunt formaliter, ut vniuersim declarauimus in ipsa Pharo disp. 17. quæst. 20. Adde rursus, existentiam fundamentalem, & etsi per se non sit à nobis sine formali iudicabilis per iudicium formale directè ad illam terminatum; & roties tamen iudicari virtualiter, siue tacitè, quoties actus, in quem iudicium formale ut in obiectum proprium tendit, ex conceptu suo exigit existentiam subiecti, cui per iudicium ipsum tribuitur, ut latius etiam est explicatum in eo confect. 5. nuper citato. Cùm enim dicimus, *Deus creat*, ita formaliter affirmamus, Deum creare, ut simul tacitè, seu virtualiter affirmemus, Deum existere; cùm tamen nullum conceptum faciamus existentie formalis Dei, sed fundamentalis dumtaxat, qui ipsissimus est conceptus essentia. Vnde consequenter venit dicendum, cùm iudicamus, Deum existere, tum existentiam Dei formalem expressè, & formaliter, tum etiam fundamentalem tacitè, & virtualiter iudicare. Tam bene coherent inter se conceptus essentia, & existentia, quos intellectus noster distinguit in Deo. Quæ omnia ex doctrinâ fusiùs traditâ locis citatis constant; & cuius eam recolenti clariùs constabunt.

282 Tertiò opponit Soar. Implicat, concipere diuinam naturam ut potentialem, seu per modum entis in potentia. Ergo signum est, includere illam in suo conceptu existentiam. Hoc argumentum probare iridem videtur, essentiam diuinam includere in conceptu suo omnia attributa, & personalitates; alioquin respectu illorum non poterit non concipi aliquo modo potentialis, siue in potentia. Respondeo itaque, nihil obesse, quominus essentia diuina per nostram rationem potentia quadam sit radicalis, seu potius subiectum suorum attributorum, ut sæpe in superioribus diximus, atque adeo etiam existentia formalis. Ad hanc tamen non potest indifferens concipi, ut concipitur essentia creaturæ: cùm non existat contingenter, uti creatura existit, sed necessariò omnino. De quo nonnihil præterea dicemus disp. 3.

## QVÆSTIO XII.

*Virum Deus sit actus purus. Et quæ ratione.*

283 **D**EUS, concordî Theologorum appellatione, sententiaque, actus purissimus appellatur, & passim asseritur, talisque per suam essentiam dicitur esse. Quid tamen sibi velit hæc appellatio, & vnde ea originem duxerit, non ita concorditer omnes exponunt.

284 Ego pro expositione suppono, actum, loquendo propriè, dici, quidquid significatur per verbum, & instar cuiusdam exercitij alicuius subiecti à nobis concipitur. Quo titulo etiam potentia dicitur actus; primus tamen comparatione reliquorum, quos semper, & necessario præcedit; qui propterea secundi dicuntur, iamque, loquendo absolutè, sub nomen actus cadunt, sicque à potentia, quam omnes suppo-

nunt, condistinguenti veniunt, ut pluribus explicatum est in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 2. & seqq. Quo factum est, ut subiectum habens potentiam ad actum, potentia ad ipsum actum vocari soleat. Et quoniam potentia sic sumpta, per actum est ut in plurimum perfectibilis; eo quod actus ut in plurimum perfectio quadam, tali potentia accrescens est. Hinc rursus factum est, ut quò aliquid minus in se perfectum, & per plura perfectibile est, eo magis potentialitatis, magis ve de potentia habere dicatur; è contra verò magis actualitatis, seu magis de actu id, quod in se est magis perfectum, & per pauciora perfectibile; sicut & id, quod perfectio est ordinata naturâ suâ ad perficiendum aliud.

En vnde progressum est tandem, ut materia prima pura potentia esse dicatur: quia nimirum tam exigua in se perfectionem habet in linea substantia, ut pro nihilo reputetur; aliundeque adeo est per formas perfectibilis, ut ad perfectionem cuiusvis substantia composita vnâ cum accidentibus eius euehi possit. Hinc quævis forma actus materia dici solet, quatenus quadam eius perfectio est. Hinc Angelus actus subsistens appellatur ob eximiam perfectionem, quam secum identificatam habet intra genus substantia. Hinc tandem factum est, ut Deus actus purissimus appelletur: quia in se ipso, & ab intrinseco habet aut formaliter, aut eminenter omnem perfectionem possibilem, adeo, ut per nullam à se distinctam perfici, crescere ve in perfectione possit; immunisque subinde est ab omni potentialitate, siue potentia, ut perficiatur; & multò magis à potentia, ut per aliquid sibi quavis ratione adiunctum deterioretur, aut minus perfectus reddatur. Vnde Deus titulo actus purissimi immunis est ab omni potentia passiva, seu receptiua in se cuiuspiam à se realiter distincti. Quia omnis huiusmodi potentia passiva manifestam præ se fert, & arguit imperfectionem alienam à Deo: siue ea sit potentia ad quidpiam perfectiuum, siue ad quidpiam deterioratiuum, siue ad quidpiam neutrale: si tertium hoc possibile est. Nam & hoc receptum deterioratiuum erit suo modo titulo oneris inutilis.

Itaque, Deum esse purissimum actum, 286 aliud non sonat, ut & plerique etiam Theologorum exponunt, quàm, esse eum ab intrinseco adeo perfectum, ut necunde possit ei prouenire quidpiam re ipsa, quo in perfectione crescat, aut decreseat: nullamque proinde potentiam, habeat ad actum, quo vel perfectior, vel minus perfectus euadat, vel talis quoquo modo arguatur. Imprimis enim à se ipso, & non participatum ab alio habet totum suum esse, & existere, quod prima est, & potissima perfectionum. Deinde à se ipso eminentiore quodam modo habet omnes perfectiones aliarum rerum absque omnibus omnino earum imperfectionibus. Quo fit, ut per nullius consortium possit aut magis, aut minus perfectus reddi. In quo Deus ab omni ente creato differt, quod totum suum esse, & existere ab alio participatum habet: subindeque potentialitatem, siue potentiam ad illud re ipsa censetur habere. Et post quàm existit, per plures alios actus, seu formas sibi realiter super additas re ipsa perfectibile, atque etiam deteriorabile est.

Quæ cum ita sint, sequitur, Deum titulo 287 actus purissimi nequaquam respicere potentias

ad actus, quibus re ipsa neque perficitur, neque deterioratur, neque minus perfectus arguitur. Quinimo multas huiusmodi potentias habet. Talis enim est potentia, quam habet, ad producendum creaturas; talis, quam habet, ad eas gubernandum; talis, quam ad intelligendum; talis, quam ad amandum; & cetera huiusmodi. Quippe Deus neque productione creaturarum, neque earum gubernatione, neque intelligentia, neque amore crescit in perfectione, aut decrefcit, aut minus perfectus arguitur. De quibus omnibus inferius disput. 16. multo plura dicenda sunt.

### QVÆSTIO XIII.

*Virum Deus sit ens per essentiam.  
Et qua ratione.*

288 **C**oncors Theologorum sententia est, Deum esse ens per essentiam, creaturam vero esse ens per participationem. Quod tamen non eodem modo explicant omnes. Scotus enim in 1. distinct. 2. quæst. 3. ait, idem Deum dici ens per essentiam, creaturam autem per participationem: quia esse Dei est perfectum, & illimitatum, creature vero imperfectum, & limitatum. Caiet. 1. par. quæst. 44. artic. 1. docet, Deum dici ens per essentiam: quia existit per essentiam: creaturam autem ens per participationem: quia non est essentialiter suum esse. Consentit Raynald. in Theolog. natur. dist. 6. quæst. 1. artic. 3. ad aens, creaturam eatenus posse dici ens per essentiam, quatenus existit per existentiam indistinctam ab essentia; licet non ut Deus, qui solus existit essentialiter, ut sicque solus dicitur esse ens per essentiam. Gillius lib. 2. tract. 1. cap. 4. ait, idem esse in Deo, esse ens per essentiam, & esse ens imparticipatum, siue in reatum, qualis non est creatura. Recapit. denique lib. 1. quæst. 9. ait, Deum dici ens per essentiam primò: quia habet per essentiam esse primum ens absque mixtione non entis, qualem habet creatura à sua potentialitate essendi, & non essendi. Secundò: quia est ens per propriam essentiam absque respectu ad aliam essentiam; qualem creatura habet ad ipsum Deum.

289 Pro exacta explicatione suppono ex dictis in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 1. & 2. *Ens* & posse usurpari essentialiter; idque vel actualiter pro essente quidpiam, vel potentialiter pro potente esse quidpiam; & posse usurpari essentialiter; idque pariter vel actualiter pro existente, vel potentialiter pro potente existere. Essentiam autem, quod ad rem attinet, aliam physicam, & aliam metaphysicam esse.

290 Igitur, cum Deus dicitur esse ens per essentiam, creatura vero ens per participationem, *ens*, essentialiter, & actualiter sumitur pro existente actu; sensusque est, Deum per suam essentiam, atque adeò à se ipso, & consequenter necessariò, & essentialiter existere, habere ve esse essentialiter, & actualiter à parte rei. Cum tamen creatura, dum existit, non per essentiam, & à se, sed ab extrinseca causa, atque adeò accidentaliter, & contingenter habeat ipsum existere. Habet autem Deus existere per suam essentiam tum physicam, tum metaphysicam: quia essentia Dei physica ipsa sibi est existentia, & necessitas

existendi; essentia autem metaphysica necessariò fert secum annexam existentiam tanquam primam, aut vnam exprimis suis metaphysicis passionibus iuxta dicta quæst. 10. & 11. Creatura vero, dum existit, licet existat per existentiam à sua essentia realiter indistinctam: quia tamen ab alio, & absque necessitate, atque adeò contingenter existit; contingenterque subinde tota essentia physica eius cum sua indistincta existentia ponitur in natura rerum, & essentia eius metaphysicæ contingenter pariter concipitur euenire, existentia formalis veluti quoddam accidens prædicabile, ut latius exponebamus in Pharo disp. 9. quæst. 6. idcirco creatura nequaquam dici potest per essentiam existere: quia iste loquendi modus ut minimum sonat, esse essentialiter creaturæ, seu de conceptu essentia eius, annexam sibi necessariò habere existentiam, atque adeò nequaquam habere eam potentiam ad non existendum. Quod planè falsum est.

Cæterum, si sumatur *ens* essentialiter tam actualiter, quam potentialiter; aut essentialiter potentialiter tunc quidem non solus Deus, sed creatura etiam dicenda veniet esse ens per essentiam: quia non solum Deus, sed etiam creatura habet per suam essentiam, de suoque, seu quiditativè, tam esse, quam posse esse id, quod est, atque etiam posse existere iuxta doctrinam uniuersalem de statu rerum quiditativè traditam in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 1. Ex quibus patet, quid veri habeant, aut non habeant modi dicendi, quos retulimus ex alijs Auctoribus. Et quo pacto, quod ad rem attinet, loquendum sit.

292 Porro, Deum esse ens à se ipso, atque adeò per essentiam existens; cum tamen cetera cuncta sint entia ab alio, atque adeò per participationem ab illo existentia; inde monstrandum venit: quia, cum Deus sit causa prima à nullo alio tanquam à causa suam existentiam accipiens, ut constat ex demonstrationibus factis quæst. 7. necessarium imprimis est, ut ille sit existens, siue habens existentiam à se. Cumque illam à se habere non possit participatam tanquam à causa: quia impossibile est, ut quidpiam se se ipsum causet, dando sibi ipsi existentiam, iuxta dicta ibidem; consequitur necessariò deinde, ut Deus per suam, met essentiam sit existens, siue habens existentiam à se. Alius enim modus habendi existentiam, præter quam aut acceptam à causa, aut à se habitam per essentiam, excogitabilis non est, ut est notum.

### DISPVATIO II.

De Attributis Dei in communi.  
Deque eorum tum inter se,  
tum cum diuinà essentia  
comparatione.

**M**ulta ad disputationem hanc spectantia, tractata iam à nobis sunt in Pharo Scient. tamen sub uniuersaliori conceptu. Quare illis inde suppositis, atque adeò tantum indicatis, de cæteris, quæ super sunt, ex professio dicemus.